…CESSI…

…LUMBARIE…

No. 258


Al le l'u


Al le lu
ya

Pf XVIII-394

# PROCESSIONALE
## AD USUM
## ECCLESIÆ TOLOSANÆ,

Operâ M. JOANNIS-PETRI GELY, Presbyteri, & Præbendati ejuſdem Eccleſiæ, in lucem editum, & juſſu VENERABILIS CAPITULI typis mandatum.

*Dividitur in duas Partes. Prima complectitur omnes Proceſſiones, Exequias, Abſolutiones, & quæcumque alia quæ intrà Eccleſiam aut ejuſdem ſepta Proceſſionaliter fiunt. In ſecunda reperiuntur quæ in quibuſcumque Proceſſionibus, ſive privatis, ſive generalibus, aut extraordinariis extrà Eccleſiam faciendis, dicenda vel cantanda ſunt.*



TOLOSÆ,
Ex Typographia JOSEPHI DALLES, ſub Signo Artium & Scientiarum.

M. DCC. LXXIV.

BIBLIOTHÈQUE TOULOUSE UNIVERSITAIRE

# VENERABILI CAPITULO
## ECCLESIÆ TOLOSANÆ.

POST tandèm excuſſos libros, pro curſu Canonico neceſſarios & in undecim conflatos volumina, ſoli inhians otio & quieti, ab omni labore me fore coactum abſtinere, languens putaveram. Quàm diuturnum enim grande hoc opus, quàm tædioſum ſudorumque plenum, quàm mihi grave & operoſum! ſed ei qui dat laſſo fortitudinem, & non habenti vires robur multiplicat, eò meos uſquè promovere placuit labores, ut etiam huic Proceſſionali jam à multis deſiderato, manum admovere potuerim. Hùc uſquè in hac veſtra percelebri Eccleſia, non minùs antiquitate ſua, quàm ipſius Clero commendabili, leges & regulas quas tutò quiſque ſequi poſſet in proceſſionibus, tàm pro ritibus in ipſis exercendis, quàm pro cantu in illis adhibendo, non habuiſtis, niſi quæ memoriæ per traditionem mandantur aut per praxim dignoſcuntur; ſed quàm incertæ ſunt tales regulæ! quàm ſæpe fallaces! Sicut enim tempus edax eſt rerum, ita ſerie temporum perit rerum memoria. Quamobrèm videns in re tanti momenti calamos omnium altiori premi ſilentio, impulſuſque non ſolùm utilitate, ſed etiam maximâ neceſſitate hujuſce Proceſſionalis, præſertìm in hacce veſtra mutatione Breviarii, minimè parcus operâ meâ, in illud pro viribus incubui,

*illudque elaborans omnia in Proceſſionibus neceſſaria accuratè exaravi, ut in publico ſacroque Dei cultu, ad vitandam varietatem, & cavendam confuſionem aliquis ordo & ratio inſtituantur, & ſic ab oblivione & neglectu hujuſce Eccleſiæ veſtræ ritus, tutiùs faciliùſque vindicentur; neque ſolas hujuſce paginas opuſculi intueamini velim, ſed meas,* Canonici Venerabiles, *hac in re vigilias, meum ergà vos ſtudium, meam mentem, mea denique omnia, quæ non immemor benefactorum veſtrorum, beneficentiis veſtris gratè devoveo. Si autem opuſculum iſtud oculis ridentibus videritis, teneriſque excipiatis manibus, ſemper carum mihi erit, illudque, laborum meorum quaſi coronam, in æternum habebo. Hoc unum tandèm mihi curæ fuit omnium commodis uſibuſque veſtris in hoc Proceſſionali ſtudere, ut illud,* Præposite admodum Reverende, Illustres Canonici, Capitulumque Venerabile, *in æternum meæ ergà vos obſervantiæ monumentum, vobis conſecrarem.*

*J. P. Gely.*

*Ad Deum, quaſi manu factâ precationibus ambiamus orantes : hæc vis Deo grata eſt.*

TERTUL. Apolog. c. 39.

ANTIQUISSIMA Proceſſionum inſtitutio ab antiquis Patribus confirmata, populum Iſraeliticum ab Ægyptiaca ſervitute liberatum, & in terram promiſſionis revertentem; Sacerdotes muros civitatis Jericho circumdantes; Davidem Arcam Domini in Tabernaculum, & Salomonem eamdem in Templum cum Hymnis & Canticis conducentem; vel potiùs Chriſtum Dominum, è Bethleem in Jeroſolymam quadrageſimo à nativitate ſua die deportatum & in Templo præſentatum, & alia ſacroſancta Myſteria nobis ræpreſentat. Quamobrèm Proceſſiones, ſeu Supplicationes, in quibus Clerus populuſque velut caſtrorum acies ordinata crucis vexillum ſequentes, ſuavem miſericordiæ vim, quaſi junctis viribus faciunt, non minùs videntur ſuâ antiquitate quàm pietatis fructu commendabiles.

Ex quo Chriſtianæ Eccleſiæ à Conſtantino-Magno ſua libertas aſſerta eſt, ubiquè celebratæ ſunt hæ religioſæ pompæ. Quarum non pauca exempla reperiebantur in ſacris codicibus, qualis in Veteri Teſtamento inſignis illa arcæ fœderis tranſlatio ut ſuprà diximus, & in novo, triumphantis Chriſti in urbem Jeroſolymam ingreſſus, præcedentibus & ſubſequentibus turbis populorum Deum magnâ voce collaudantium.

Tunc ſedatis perſecutionibus celebrata fuit Antiochiæ, tempore Juliani apoſtatæ, ſolemnis hæc tranſlatio S. Babilæ, Martyris (1). Mediolani celeberrima facta fuit proceſſio in tranſlatione Reliquia-

(1) Socr. l. 3. c. 18. Sozomenes, lib. 5. c. 19. Theodor. lib. 3. cap. 3. S. Chriſoſt. S. 1. S. Babil.

rum Sanctorum Gervaſii & Protaſii, quarum attactu in ipſamet proceſſione cæcus omnibus notus, juxta SS. Ambroſ. & Auguſt. teſtes oculatos, viſum recepit (1) & deinceps quandò reperiebantur SS. Martyrum Reliquiæ, in Eccleſiam, Hymnos, Pſalmos & Cantica decantando, triumphantes deferebantur.

Poſteà ſucceſſivè inſtitutæ ſunt Proceſſiones quarum præcipuæ ſunt illæ quæ cum Litaniis habentur: duplex autem eſt Litania ſcilicèt major & minor: Major eſt in Feſto B. Marci, quæ primò, tempore Pelagii Papæ, propter peſtem inguinariam quâ homines paſsìm & ſubitò moriebantur, inſtituta fuit; cùm enim penè totus Romæ populus deleretur, ipſe Pelagius omnibus jejunium & Proceſſionem indixit; ſed in ipſa Proceſſione ipſe cum ſeptuaginta aliis expiravit. Pelagio ſuffectus Gregorius primus qui & magnus dictus eſt, hanc Litaniam ubique terrarum ſervari præcepit; Litania ideoque hæc dicitur Gregoriana vel Romana. Minores verò Litaniæ quæ etiam Rogationes & Proceſſiones vocantur, & fiunt tribus diebus ante Aſcenſionem, inſtitutæ ſunt Viennæ à B. Mamerto Viennenſi Epiſcopo, qui propter peſtem luporum, aliarumque ferarum in Galliis acriter homines perimentium, & propter periculoſos terræ motus illìc crebrò contingentes, indixit populis jejunium triduanum & Litanias ſive Proceſſiones inſtituit: (2) *Quas ante Aſcenſionem ab omnibus Eccleſiis placuit celebrari.*

Dicitur autem hæc Litania minor, quia à minori ſcilicèt à ſimplici Epiſcopo, & in minori loco, ſcilicèt Viennæ inventa eſt: illa verò dicitur major, quia in majori loco, ſcilicèt Romæ, & à majori, nempè à magno Gregorio & pro magno & graviſſimo morbo inſtituta fuit: minor tamen anti-

(1) S. Ambroſ. litt. 22. ad Soror. S. Aug. l. 9. Conf. c. 7. & l. 22. de Civitate Dei.

(2) Conc. Avrel. Can. 27. an. 511.

quior eſt tempore : inſtituta enim fuit tempore Zenonis Imperatoris; major verò tempore Mauricii Imperatoris.

Fiunt etiam Proceſſiones cum Litaniis propter plures alias cauſas ; undè Liberius Papa ſtatuit, ut pro bello, pro fame, pro peſtilentia & hujuſmodi adverſitatibus imminentibus Litaniæ fierent, ut ſic iſta, per ſupplicationes & orationes, effugiamus.

Quia ergò hoc tempore quo in tota Eccleſia incipiunt Litaniæ ſeu Proceſſiones, bella emergere ſolent, & fructus terræ qui adhuc in teneritate & flore ſunt, pluribus modis facilè poſſunt corrumpi; ideò fiunt Litaniæ ſeu Proceſſiones, ut hoc tempore rogemus Deum, quòd talia à nobis avertat, & ab aëris intemperie, & à bellis, & ab hoſtibus Chriſtianæ Religionis nos eripiat & defendat; & quia ſuper hoc patrocinia Sanctorum ſpecialiter & generaliter imploramus, ideò Rogationes vocantur; & quia dixit Chriſtus aſcendens in cœlum, *petite & accipietis*; ideò eo tempore confidentiùs petit Eccleſia.

Fiunt etiam aliæ Proceſſiones, in Hymnis & Canticis, in tota Eccleſia, ad reverenda ſacroſancta Myſteria Religionis Chriſtianæ; quales ſunt Proceſſiones quæ fiunt in Dominicis, in Purificatione B. Mariæ, & Præſentatione Domini, in Dominica Palmarum, in Feſto Corporis Chriſti, in Aſſumptione B. Mariæ, & in Feſtis Patronorum Eccleſiarum : & præter eas, ſuas peculiares habet Proceſſiones quælibet Eccleſia.

Sed cùm pietatis cauſâ & divini honoris intuitu, abſque controverſia ulla, Proceſſiones illas quæ apud nos vigent & ſupplicationes inſtituerit Eccleſia S. Spiritûs edocta magiſterio, decet Eccleſiæ filios vividâ fide animatos, imprimiſque eccleſiaſticos viros, maximè Choro adſtrictos, qui orationi publicæ addicti, ipſâ profeſſione ſuâ, *ex hominibus aſſumpti, pro hominibus conſtituuntur in iis quæ ſunt*

*ad Deum.* (1) Decet inquam ut in cunctis Proceſſionibus, non ſolùm aſſiduitate ſuâ, omnibus fidei ac pietatis exemplum præbeant; ſed etiam in illis, eâ modeſtiâ & reverentiâ fulgeant, quæ piis & religioſis hujuſmodi actionibus maximè debentur. Decet ut quiſque ordine ſuo graviter & modeſtè procedat, colloquiiſque excluſis, Pſalmis, Hymnis & reliquis ſacris precibus ſedulò operam det.

Caveant igitur omnes ne tam religioſæ cæremoniarum pompæ otioſis ſermonibus, oculis hinc & illinc ſparſis, indecoro riſu, inceſſu incompoſito, irreverentiâ denique & intemperantiis prophanentur; ſed modeſtè bini & bini, demiſſis oculis, incedant omnes; & quantùm fieri poterit, hinc indè numero pari, ſituque & inceſſu æquali utrinque ſibi reſpondeant, ac etiam inter præcedentes & ſubſequentes æqualis diſtantia ſemper interſit: quantùm enim Proceſſiones reverenter habitæ provocant ad pietatem, tantùm, ubi perfunctoriè & incautè aguntur, ſunt offenſioni, cùm noſtra myſteria, impiorum, qui eas viderint inconcinnè peragi, ludibrio & irriſioni exponant. Attendant denique omnes has Proceſſiones noſtras, in quibus crucis inſiſtentes veſtigiis, Dominumque ſublimi voce collaudantes, ad ſanctum illius templum progredimur, vivam expreſſamque, juxtà Sanctos Patres, eſſe imaginem vitæ quam in terris degunt veri Chriſtiani, qui crucifixum Jeſum fideli inſequentes gradu, ad cœlum totis animi tendunt affectibus; nec alio, longæ viæ tædia, ſolatio leniunt, quàm piis cantibus & gemitibus ex imo pectore depromptis, donec in Dei Sanctuario æternùm conquieſcant: *Ambulantes*, ait S. Auguſtinus, *ſic cantemus ut deſideremus: nam qui deſiderat, etſi lingua taceat, cantat corde; qui autem non deſiderat, quolibet clamore aures hominum feriat, mutus eſt Deo.*

(1) Hebr. 5.

# AD ASPERSIONEM, AQUÆ-BENEDICTÆ.

## IN DOMINICIS EXTRA TEMPUS PASCHALE;

*Celebrans imponit, ad modum Introïtûs, Antiph. ſeq. de 7.*






*Repetitur Antiph.* Aſperges me. *ut ſuprà, uſquè ad Pſalmum. Tempore Paſſionis omittitur* Glória Patri. *ſed poſt Pſalmum repet. Ant. ut ſuprà.*

# IN DOMINICIS
## INTRA TEMPUS PASCHALE.

*Celebrans imponit, ad modum Introïtûs, Ant. ſeq. de 8.*






*Repetitur Antiphona* Effundam. *uſquè ad Pſalmum.*

PROCESSIONALE

# PROCESSIONALE ECCLESIÆ TOLOSANÆ

*In duas Partes diviſum, quarum prima Proceſſiones continet, quæ intrà, altera quæ extrà ſepta Eccleſiæ fieri ſolent.*

## PARS PRIMA.

## CAPUT I.

De Proceſſionibus quæ fiunt in Dominicis.

SINGULIS *anni Dominicis ſit ante Miſſam Conventualem Proceſſio circà Clauſtrum; exceptis Dominicis infrà Octav. Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paſchatis, Aſcenſionis, Corporis Chriſti, Inventionis Corporis S. Stephani, & Dedicationis Eccleſiæ. Fit tamen aliquandò in his Dominicis exceptis, propter obitum, vel quoddam Feſtum adveniens, cujus Officium cum quatuor vel ſex Bordoneriis celebrari debet: ſed priùs fit Aſperſio aquæ benedictæ, ad quam, cunctis de Choro hinc indè diſpoſitis,*

*Celebrans ad gradus Altaris genuflexus, impo-nit, ad modum Introitûs, Antiphonam*, Aſperges, &c. *vel Antiphonam*, Effundam, &c. *pro Tempore Paſchali, ut habentur in Graduali pag.* 1. *cujuſque partis.*

*A Dominicâ primâ Adventûs uſquè ad Feſtum Purificationis B. M. V. poſt Aſperſionem, Cantor ſive Choriſta imponit Antiphonam* Alma, &c. *ut notatur infrà pag.* 8. *& pergitur è Choro per circuitum Clauſtri ad quartum Clauſtrum, ubì finitur Antiphona, quæ in decurſu Proceſſionis repetitur, ſi neceſſe ſit; deindè ſtante ibidem Proceſſione, imponitur ſemper in Proceſſionibus hujuſmodi, Antiphona* Poſitis genibus, &c. *ut habetur infrà, eamque utroque Choro decantante revertitur ad Chorum, ubì dicitur Miſſa.*

*A Dominica poſt Purificationem uſquè ad Dominicam Quinquageſimæ excluſivè, Proceſſio fit eodem modo quo, ſuprà; loco autem, Antiphonæ*, Alma, &c. *dicitur Antiphona*, Ave, Regina, &c. *ut habetur infrà pag.* 9.

## DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

*Dominica in Quinquageſima, Proceſſio fit per circuitum plateæ ſancti Stephani, vel circà Clauſtrum, ſi propter intemperiem aëris ad extra fieri non poſſit. Poſt Aſperſionem imponitur à Choriſta Antiphona*, Ave, Regina, &c. *ut infrà pag.* 9. *quâ finitâ, imponuntur duo* ℞℞. Benedicta es tu, &c. *infrà pag.* 12. *&* ℞. Adduxerunt Stephanum, &c. *infrà, & à duobus Choriſtis cantantur cum ſuis Verſibus; deindè imponitur ab iiſdem Antiphona* Poſitis genibus, &c. *infrà, nullibi tamen ſiſtitur Proceſſio, quâ peractâ Miſſa dicitur in Choro.*

## DOMINICIS QUADRAGESIMÆ.

*A Dominica prima Quadrageſimæ uſquè ad Dominicam Palmarum excluſivè, loco Antiph. B. M. Virginis, poſt aſperſionem imponitur in Choro à Choriſta ℟. ſequens, cujus cantus protrahitur uſquè ad quartum Clauſtrum, ubì finito ℟. imponitur ab eodem Choriſta Antiphona* Poſitis genibus, &c. *infrà.*






*Finito Reſponſorio, imponitur in quarto Clauſtro à Choriſta Antiph.* Poſitis genibus, &c. *infrà.*

## DOMINICIS INTRA TEMPUS PASCH.

*Poſt Aſperſionem imponitur à Choriſta Antiphona* Regina Cœli, &c. *ut infrà pag.* 10. *Cetera fiunt ut in aliis Dominicis.*

## A DOMINICA III. POST PENTECOST. AD ADVENTUM.

*A Dominica III. poſt Pentecoſten, ad Adventum, Choriſta poſt Aſperſionem, loco Antiphonæ de B. M. V. imponit Reſponſor. ſequens, & in quarto Clauſtro imponitur ab eodem Antiphona* Poſitis genibus, &c. *ut in aliis Dominicis.*


℟. de 1. SEraphim clamabant alter ad alterum : * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum : plena eſt omnis terra gloriâ ejus. ℣. Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo ; Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus ; &




*Omnes, detecto capite procedunt dùm cantatur Verſus Reſponſor. præcedentis qui à Choriſta imponitur, proſequente utroque Choro ad hæc verba* Pater, Verbum, &c. *quo finito, imponitur reclamatio à ſolo Choriſta, reliqua verò proſequitur Chorus uſquè ad verſum, & operto capite procedunt omnes ad quartum Clauſtrum, ibique ſtante Proceſſione, Choriſta imponit Antiphonam,* Poſitis genibus, &c. *ut ſit in omnibus Dominicis.*

# CAPUT II.

## De Proceſſionibus quæ fiunt cum ſex vel quatuor Bordoneriis.

*IN Annualibus ſex deputantur Bordonerii, nempè duo Canonici, duo Cantores, & duo Præbendati; & in his Feſtis Annualibus conveniunt omnes de Choro, horâ competenti, in Sacriſtiam cappis ſe induturi, datoque ſigno à D. Cantore Majori, Subdiacono, cum Cruce, præcedente, ceteriſque de Choro, ſex Bordonerii, & Celebrans cum Miniſtris procedunt è Sacriſtia ad Chorum ubì à ſex Bordoneriis, unà cum Celebrante & Miniſtris reverenter ſalutatâ Cruce Altaris, hinc indè omnibus diſpoſitis, imponitur una ex Antiphonis* Beatæ *M. Virginis ut*

*infrà notantur pro diverſitate temporis, niſi ſit Dominica; tunc enim ſit priùs aſperſio Aquæ benedictæ quæ numquàm omittitur (niſi D. D. Archiepiſcopus, vel D. D. Præpoſitus celebraturi ſint,) & poſt Aſperſionem, & Orationem dictam à celebrante, imponitur ante Pulpitum majus Antiphona de B. M. ut ſuprà, & continuò properatur ad Clauſtrum.*

*In primo Clauſtro aliquantulùm ſiſtit Proceſſio donec duo digniores Bordonerii procedentes uſquè ad medium ipſius, Crucem reverenter ſalutaverint; Antiphona autem de B. M. quæ interìm continuatur, quæque, ſi neceſſe ſit, partìm repetitur, terminatur ſemper in ſecundo Clauſtro in quo iterùm ſtat Proceſſio, ibique imponitur Reſponſorium* Benedicta es tu, &c. *ut infrà notatur pag. 12. Cujus verſus cantatur à duobus Hebdomadariis in medio tertii Clauſtri, in quo etiam imponitur Reſponſorium* Adduxerunt, &c. *ut infrà notatur cujus Verſus cantatur à duobus dignioribus Canonicis in medio quarti Clauſtri; ibique finito ℞. imponitur à Bordoneriis Antiphona,* Poſitis genibus, &c. *ut infrà & eam decantando redit Proceſſio ad Chorum.*

*In Solemnibus-majoribus ſex deputantur Bordonerii, nempè duo Hebdomadarii, duo Cantores, duoque Capellani Dominorum Canonicorum: in his Feſtis, quondam excepto, ut videbitur infrà omnes ad Proceſſionem, exceptis Bordoneriis & celebrante, ſunt ſine Cappis; cetera fiunt ut ſuprà in Annualibus, & ut notabitur infrà ſuo loco.*

*In Solemnibus-minoribus quatuor deputantur Bordonerii, nempè, duo Cantores & duo Capellani; cetera fiunt ut ſuprà in Solemnibus-majoribus dictum eſt.*

## AB ADVENT. USQ. AD PRÆSENT. DOM. INCLUSIVE.

*Antiphona de 5. in C.*






## A PRÆSENTATIONE DOMINI AD PASCHA.






## A PASCHA AD DOM. SS. TRINITATIS
EXCLUSIVE.



## A DOMINICA SS. TRINIT. AD ADVENT.






*Finitâ Antiphonâ, in ſecundo Clauſtro imponitur à Bordoneriis Reſponſorium ſequens, poſt cujus impoſitionem, ad tertium proceditur Clauſtrum in cujus medio, ſtante Proceſſione, cantatur Verſus Reſponſorii, nempè in Annualibus, à duobus Hebdomadariis, & in Solemnibus quibuſcumque, à duobus Præbendatis.*

℟.
*de 6.*




fi- li- a à Do-mi-no
De- o excel- ſo præ om-
ni-bus mu- li- e- ribus
ſu- per ter- ram. * Bene-
dic- tus Do- minus , qui- a
ho- di- è nomen tu- um i- ta
magni- fi-ca- vit , ut non re-
ce- dat laus tu- a
de o- re ho- mi-
num. [ T. P. ] Alle- lu- ia , al-
le- lu- ia. ℣. Be-




*Finito Reſponſorio præcedenti, iterùm imponitur in tertio clauſtro ℟. ſequens, & pergunt omnes ad quartum clauſtrum in cujus medio cantatur Verſus Reſponſorii, nimirùm, in Annualibus & Solemnibus Majoribus, à duobus dignioribus Canonicis, & in aliis Feſtis à duobus junioribus.*






*Poſt* ℟. *præcedens imponitur ſequens Antiph. dein pergitur ad Chorum ubi terminatur , & dicitur Miſſa excepto die Aſſumptionis B. M. V. quo celebratur ad Altare parochiæ.*

*Antiph. de 1.* P






## IN OBITU CUM PROCESSIONE.

*Ad has Proceſſiones habentur quatuor Bordonerii , Nempè duo Cantores , & duo Capellani , & omnimodè fiunt ut in Solemnibus Minoribus ; excepto quòd à Feſto omnium Sanctorum ad Paſcha , hæ Proceſſiones non fiunt intrà clauſtra ſed per circuitum Chori , & ordinatur ut infrà.*

*1. Quatuor Bordonerii procedentes è Sacriſtia ad Chorum cum Celebrante & Miniſtris , Reverenter ſalutatâ cruce altaris , hìnc indè diſpoſiti non longè à gradibus infimis Sanctuarii , imponunt Antiph. de B. M. V. Tempori propriam. Præcedit Crux , & ſequuntur omnes*

*quiſque ordine ſuo, &, ſtante Proceſſione ante & extrà portam majorem Chori, omnibus per gyrum diſpoſitis, partìm extrà fores Chori, partìm intrà, Bordonerii, ſed prius ſalutatâ cruce à duobus primis & terminatâ Antiphonâ, imponunt* ℟. Benedicta es, &c. *ut ſuprà, pag.* 12, *cujus Verſus cantatur à duobus Præbendatis propè portam lateralem & meridionalem Chori circàm Cappellam S. Alexii.*

2. *Finito Reſponſorio imponitur* ℟. Adduxerunt, &c. *ut ſuprà, pag.* 14. *cujus Verſus decantatur à duobus junioribus Canonicis, propè alteram portam lateralem & ſeptentrionalem Chori, juxtà Capellam S. Martini.*

3. *Poſt* ℟. *præcedens, imponitur Antiphona* Poſitis genibus, &c. *ut ſuprà, pag.* 15, *& redit Proceſſio ad Chorum ubì dicitur Miſſa.*

# CAPUT III.

## Die II. Februarii.

*In Feſto*

## PRÆSENTATIONIS DOMINI.

*Hora competenti conveniunt omnes in Sacriſtiam, ut pluvialibus ſivè cappis parent ſe, & omnibus paratis, datoque ſigno à D. Cantore majori, Celebrans cum Miniſtris, quatuor aut potiùs ſex Bordoneriis & Clero, præcedente cruce, pergit è Sacriſtiâ ad Chorum pro benedictione candelarum. Celebrans verò ad Altare*

*pergit, & Bordonerii ad Pulpitum majus, omnibus aliis de Choro, ſive in Sanctuario, ſive in Choro in duas lineas rectas diviſis, & ad altare converſis.*

*Ante benedictionem candelarum, fit aſperſio Aquæ benedictæ, ſi Feſtum Præſentationis Domini in Dominicam inciderit, niſi D. D. Archiepiſcopus, aut D. Præpoſitus candelas benedicturi ſint.*

*Peractâ benedictione candelarum, cùm earum incohatur diſtributio, ſtatìm Bordonerii imponunt Antiphonam* Lumen, &c. *ut infrà, quam proſequitur Chorus, & integrè repetit poſt quoſlibet Verſus cantici* Nunc dimittis, &c. *quos Verſus Bordonerii decantant ſoli, iique poſſunt repeti uſquè ad finem diſtributionis; Verſus tamen* Gloria Patri, &c. *ſemèl tantùm dici debet, ſcilicèt in fine totius diſtributionis.*




Domi- nè ſecundùm verbum tu-um
in pa- ce.
Cho- rus.
Lumen , &c.
Bordo- nerii.
Qui- a vide-runt o-cu- li
me- i ſa-lu-ta- re tu- um.
Cho- rus.
Bordo- nerii.
Lumen , &c.
Quod paraſti
an-te fa- ci-em omni-um po-pu-lo-
Cho- rus.
Bordo- nerii.
rum.
Lumen , &c.
Lumen
ad reve- la- ti- onem genti- um ,
& glori- am plebis tu- æ Iſ-
Cho- rus.
Bordo- nerii.
ra- ël.
Lumen , &c.
Glo-
ri- a Patri , & Fi- li- o , & Spi-
Cho- rus.
ri-tu- i Sancto.
Lumen, &c.




*Poſt Canticum , omnibus ad Proceſſionem præparatis , Celebrans cantat in tono Verſiculorum , Choro reſpondente , Verſus ſequentes , & dicit orationem ut infrà.*

℣. Tu illúminas lucernam meam , Dómine :
℟. Deus meus , illúmina ténebras meas.
℣. Dómine , exáudi oratiónem meam ;
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobiſcum.
℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DEus , lumen verum , æternæ lucis reparátor & auctor , infunde córdibus tuórum fidélium perpétui lúminis , claritátem : ut quicumque in templo ſancto glóriæ tuæ præſéntibus adornantur lucernis , ómnium vitiórum contágiis expiáti , in templo cœleſtis habitatiónis tuæ cum fructu bonórum óperum tibi váleant præſentári : Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*His completis imponitur à Bordoneriis Reſponſorium ſequens quod proſequitur uterque Chorus , & incedit Proceſſio præcedentibus thuriferario & ſubdiacono cum cruce , quos ſequuntur*

*omnes de Choro, bini & bini, & quiſque ordine ſuo, omneſque tenent candelas, exceptis Bordoneriis, Diacono, Subdiacono, Cæremoniario, & Thuriferario, & qui à dextris ſunt, dexterâ, qui verò à ſiniſtris, ſiniſtrâ candelas deferunt, alterâ verò manu Proceſſionale.*



*Chorus.*




*Finito Reſponſorio imponitur ſequens Hymnus, & alternis decantatur ab utroque Choro.*

*Hymnus, de 5.*



De more matrum, Virgo puérpera
Templo ſtatútos abſtínuit dies;
  Intráre ſanctum quiá pavébas,
  Facta Dei priùs ipſa templum?
Arâ ſub unâ ſe vovet hóſtia
Triplex: honórem Virgíneum ímmolat
  Virgo ſacerdos, parva mollis
  Membra Puer, ſeniorque vitam.
Eheu! quot enſes tranſádigent tuum
Pectus! quot altis nata dolóribus,
  O Virgo! Quem geſtas cruentam
  Imbuet hic ſacer agnus aram.
Chriſtus futúro, corpus adhuc tener,
Prælúdit inſons víctima fúneri:
  Creſcet; profúſo vir cruóre,
  Omne ſcelus móriens piábit.
Sit ſumma Patri, ſúmmaque Fílio,
Sanctóque compar glória Flámini:
  Sanctæ litémus Trinitáti
  Perpétuo pia corda cultu. Amen.

*Poſt Hymnum præcedentem imponitur ſeq. Reſponſor. cantaturque ab omnibus ingrediendo Eccleſiam, terminaturque in Choro.*

*Reſponſor. de* 1.






*Finitâ Proceſſione , ſiſtunt ſe Bordonerii in Choro ad Pulpitum majus ; pergantque omnes alii*

*alii in Sacriſtiam Cappas depoſituri. Si D. D. Archiepiſcopus candelas non benedixerit, Celebrans cum Miniſtris non ad Sacriſtiam vadit ſed ad Capellam S. Auguſtini, ubi ſervantur Reliquiæ S. Stephani ponè altare majus, ibique depoſito Pluviali, parat ſe Ornamentis congruis & celebratur Miſſa in qua tenent omnes in manibus candelas accenſas, dùm legitur Evangelium, & iterum ad elevationem SS. Sacramenti uſquè ad Communionem.*

## DOMINICA IN PALMIS

### AD PROCESSIONEM.

*AD hanc Proceſſionem quatuor deputantur Bordonerii, nempè duo Cantores & duo Capellani, pro qua, horâ competenti conveniunt omnes in Sacriſtiam, & omnibus de Clero pluvialibus indutis, datoque ſigno à Cantore majori, Crux præcedit, ſequitur Clerus, deindè quatuor Bordonerii, & ultimo loco procedit Celebrans ſine manipulo paratus albâ, ſtolâ, nigrâ, & pluviali ejuſdem coloris, medius inter Miniſtros ſacros, planetis plicatis cum manipulis ornatos; & pergitur è Sacriſtiâ, per medium Chori, ad Altare Parochiæ ad quod aſcendunt quatuor Bordonerii, Celebrans & Miniſtri, omnibus aliis, extrà Sanctuarii gradus remanentibus, hinc indè ordinatis, in duas lineas rectas diviſis, & ad altare converſis.*

*Celebrans medius inter Miniſtros & Bordonerios ante altare genuflectit, recedunt Bordonerii à latere Evangelii, Celebrans aſcendit ad Altare, illud in medio oſculatur, vadit ad cornu*

*Epiſtolæ, ubi ſtans ramos juxtà Altare poſitos benedicit cantans,*

℣. Dóminus vobiſcum.
℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DEus, cujus Fílius pro ſalúte humáni géneris de cœlo deſcendit ad terras, & appropinquante horâ paſſiónis ſuæ, Jeroſólymam in áſino veníre, & à turbis Rex appellári, ac laudári vóluit; benedícere † dignáre hos fróndium ramos; ut omnes qui eos latúri ſunt, ita benedictiónis tuæ dono repleantur, quátenùs & in hoc ſéculo hoſtis antíqui tentamenta ſuperáre, & in futúro cum palma victóriæ & fructu bonórum óperum tibi váleant apparére; Per eumdem Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Orémus.

DEus, qui Fílium tuum unigénitum pro redemptióne noſtra dignátus es míttere in mundum, ut pópulum tuum ab inítio in peccáti profunda demerſum à morte ad vitam revocáres; & chirógrapho lethi deléto, ſánguine Fílii tui innováres géntibus regnum; Deus, qui diſperſa cóngregas, & congregáta conſervas: qui pópulis óbviam Jeſu ramos portántibus benedixiſti: béne † dic étiam hos ramos, quos tui fámuli ad honórem nóminis tui fidéliter ſuſcípiunt; ut in quemcumque locum introducti fúerint, tuam benedictiónem habitatóres loci illíus conſequantur; & omni adverſitáte effugátâ; déxtera tua prótegat quos redémit Jeſus Chriſtus Fílius tuus Dóminus noſter; Qui tecum vivit & regnat in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

*Dictis orationibus, Celebrans, ramos aquâ benedictâ ter aſpergit, videlicèt in medio, à ſiniſtris, & à dextris. Interim dignior de Choro accedit ad Altare, & cum debitis reverentiis offert celebranti ramum, quem Celebrans tradit alicui Miniſtro cuſtodiendum. Tùm Celebrans ramos diſtribuit priùs digniori, deindè omnibus aliis per ordinem ſive beneficiatis ſive habituatis, & poſtremò Magiſtratibus, & in eodem loco.*

*Cùm inchoatur diſtributio, ſtatìm & non priùs, cantantur Antiphonæ ſequentes & repetuntur alternatìm quouſquè diſtributio finiatur.*

*Antiph. de 1.*




*Antiph. de 1.*






*Finitâ diſtributione ramorum, cunctiſque ramos manu geſtantibus, fit aſperſio ſolita Altaris, Cleri, Magiſtratuum, Populi, & ramorum populi, pro qua Celebrans ante Altare genuflexus imponit Antiphonam* Aſperges, &c. *quam proſequitur Chorus dùm fit Aſperſio, & dicitur ſine* Gloria Patri.

*Antiphona de 7.*






*Non dicitur* Gloria Patri. *ſed repetitur Antiphona*, Aſperges me, &c. *ut ſuprà, uſquè ad Pſalmum.*

*Factâ Aſperſione, Celebrans ſtans ante Altare, dicit:*

Orémus.

EXáudi nos, Dómine ſancte, Pater omnípotens, æterne Deus; & míttere dignéris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtódiat, fóveat, prótegat, víſitet atque defendat omnes congregátos in hoc ſancto templo tuo: Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Poſt Orationem fit Proceſſio per circuitum plateæ S. Stephani, aut circà clauſtrum Eccleſiæ, ſi propter tempus pluviâ infeſtum, vel aliam cauſam, Proceſſio fieri non poſſit extrà Eccleſiam, ſed ſivè extrà ſivè intrà; fit ſemper ſtatio ante crucem in aliquo loco præparatam ubi legetur Evangelium, & fiet adoratio Crucis, ut infrà ſuo loco dicetur.*

*Poſt cantatam orationem, datoque ſigno à Cantore majori, incedit Proceſſio, cunctis ramos geſtantibus, & Choro cantante Antiph.* Cùm appropinquaſſent, &c. *Cum ſequentibus, vel parte illarum prout neceſſe fuerit, quæ ſemper imponuntur à Bordoneriis, Choro proſeq. poſt impoſitionem Antiph.*


Antiph. de 3.
C Um appropinquaſ- ſent Je-
ro-ſo- lymis , mi- ſit Je- ſus
du- os diſ- ci- pu- los , di-
cens e- is : I- te in caſ-
tel- lum quod contra vos
eſt ; & ſta- tìm in- ve- ni-
e- tis a- ſinam al-li-ga- tam ,
& pul- lum cum e- a :
ſol- vi- te , & addu-
ci- te mi- hi.
Antiph. de 2.
A D- duxe- runt diſ-


cipu- li a- ſinam & pul-
lum, & jac- tan-tes veſ- timen- ta
ſu- a ſu- pra pul- lum impo- ſu-
e- runt Je- ſum; & ſe- dit ſu-
per e- um, ſi- cut ſcrip-
tum eſt: No- li time- re, fi-
li- a Si- on; Ec- ce Rex
tu- us ve- nit ſe- dens
ſu- per pul-lum a- ſinæ.
Antiph. de 3.
E- Un-te il- lo,
plu- rima tur-ba ſtra- ve- runt
veſti- men- ta ſu- a in vi- a:


a- li- i autem ra-mos cæ-
de- bant de ar- bo- ri-bus ,
& ſterne- bant in vi- a : &
cùm appro- pinqua- ret ad deſ-
cen- ſum mon- tis O- li- ve- ti ,
cœperunt tur- bæ diſci- pu- lo-
rum gauden- tes lauda- re De-
um vo- ce magnâ ſu- per
om- nibus quas vi- derant vir-
tu- tibus di- cen- tes : Be-
ne- dictus qui ve- nit Rex in




*Poſt Antiphonam præcedentem quæ repeti poteſt ſi neceſſe ſit , ſiſtit Proceſſio in loco ſtationis quæ ſit ante crucem ibidem præparatam. Tunc Diaconus dalmaticam induit , deindè genibus flexis ante Crucem dicit :* Munda cor meum. *Accedit ad celebrantem , & genibus flexis petit ab illo benedictionem ad Evangelium , Celebrans benediicit Diaconum , dicens :* Dominus ſit in corde tuo , &c. *Thuriferarius à dextris Diaconi genuflexus , thus in navicula præſentat ad benedicendum , dicens :* Benedic, Pater. *Celebrans benedicit illud , dicens :* Ab illo benedicaris , &c. *Tùm Diaconus , præcedentibus Thuriferario , Ceroferariis & Subdiacono Crucem geſtante , pergit ad pulpitum præparatum , ubi ſtans more ſolito cantat Evangelium , dicens :*

℣. Dóminus vobiſcum.

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Mathæum.

*Choro reſpondente :* Glória tibi Dómine. *Incenſatur Liber Evangeliorum , tribus ductibus à Diacono.*

IN illo témpore ; Cùm appropinquaſſent Jeſu & diſcípuli ejus Jerosólymis , & veniſſent Béthphage ad montem olivéti : tunc Jeſus miſit duos

Diſcípulos, dicens eis : Ite in caſtellum quod contrà vos eſt ; & ſtatìm inveniétis áſinam alligátam, & pullum cum ea ; ſólvite, & addúcite mihi : & ſi quis vobis áliquid díxerit : dícite quia Dóminus his opus habet ; & confeſtìm dimittet eos. Hoc autem totum factum eſt, ut adimplerétur quod dictum eſt per Prophétam, dicentem : Dícite fíliæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi manſuétus, ſedens ſuper áſinam, & pullum fílium ſubjugális. Euntes autem Diſcípuli, fecérunt ſicut præcépit illis Jeſus. Et adduxérunt áſinam & pullum ; & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum déſuper ſedére fecérunt. Plúrima autem turba ſtravérunt veſtimenta ſua in via : álii autem cædébant ramos de arbóribus, & ſternébant in via. Turbæ autem, quæ præcedébant, & quæ ſequebantur, clamábant, dicentes : Hoſanna Fílio David ; benedictus qui venit in nómine Dómini ; hoſanna in altíſſimis.

*Lecto Evangelio Celebrans porrectum à Subdiacono Librum Evangelii oſculatur, & incenſatur à Diacono ſtante, deindè Diaconus dalmaticam exuit, & cantatur Antiphona*, Ave, Rex noſter, &c. *ut infrà, tuncque Celebrans, Miniſtri, ac reliqui de Clero per ordinem, & Magiſtratus, proſtrati Crucem oſculantur, & ad ejus pedem projiciunt ſurculum rami, profundè inclinantes ante & poſt.*

*Antiph. de 1.*






*His completis, proceditur ad Januam Eccleſiæ cantando aliquam ex Antiphonis ſequentibus.*

*Antiph. de 2.*




ſal- va nos ; ô Domi- ne ,
benè proſpe- ra-re. Bene- dic-
tus qui ve- nit in no-mi- ne
Do- mi- ni ; De- us Do- mi-
nus , & il- lu- xit no- bis :
conſti- tu- i- te di-em ſo- lemnem
in conden- ſis , uſquè ad cor- nu
Al- ta- ris.
Antiph. de 7. QUi- dam Pha-ri- ſæ- o-
rum di- xe- runt ad Je-ſum :
Magiſ- ter , incre-pa diſ- ci- pu-los

tuos


tu- os. Qui-bus ip- ſe a- it :
Dico vo- bis , Qui- a ſi hi
ta- cu- e- rint , la- pi- des cla-
ma- bunt.
*Antiph. de 1.* UT appropinqua- vit
Je- ſus , vi- dens ci- vi- ta-
tem , fle- vit ſu- per il-
lam , di- cens : Qui- a ſi
cogno- viſ- ſes & tu , & qui-
dèm in hac di- e tu- a
quæ ad pa- cem ti- bi ; nunc
au-tem abſ-con- di- ta ſunt ab



o- cu- lis tu- is.

*Cùm pervenit Proceſſio ante januam Eccleſiæ, muſici ingrediuntur Eccleſiam, moxque, januis clauſis, iidem muſici cantant primam ſtrophen Hymni* Gloria, laus, &c. *Choro poſt ſingulos verſus eamdem ſtrophen repetente.*

*Hymnus, de 1.*



G Lo- ri- a, laus &



honor ti- bi ſit, Rex Chriſte, Re-



demptor, Cu- i pu- e- ri- le



de- cus prompſit Ho- ſan- na



pi- um.

*Chorus extrà Eccleſiam repetit eamdem ſtrophen.*

*Muſici cantant.*



Iſ-ra-ël es tu Rex, Da-



vi- dis & incly- ta proles,



Nomi- ne qui in Do- mi- ni,




*Chorus :* Gloria , laus , &c.




*Chorus :* Gloria , laus , &c.




*Chorus :* Gloria , laus , &c. *Muſici , qui intrà ſunt , eamdem ſtrophen repetunt , & ſic terminatur Hymnus.*

*Finito Hymno , Celebrans baculo Crucis portam Eccleſiæ tribus vicibus diſtinctis percutit cantans :* Attollite portas , &c. *ut infrà , Mu-*

*ſici vel alii ſi deſint Muſici, totidem vicibus reſpondent :* Quis eſt iſte rex gloriæ ? *eo ritu quo infrà hæc omnia notantur.*

*Celebrans percutiens portam.*




*Muſici reſpondent.*




*Celebrans reſpondet.*




*Et ſtatim percutiens portam pro ſecunda vice, cantat ut ſuprà :* Attollite portas , &c.

*Muſici vocem elevantes reſpondent.*



*buſque paratis, datoque ſigno à Domino cantore, pergitur ad aulam Capitularem, præcedentibus Virgariis, Thuriferariis, Subdiacono cum Cruce, Canonicis, bini & bini, duobus Bordoneriis cappis indutis, & ultimo loco celebrante cum Diacono & Capellano almutiam celebrantis geſtante.*

*Ante lotionem pedum, Diaconus dicit flexis genibus,* Munda cor meum, &c. *& cantat Evangelium,* Ante diem Feſtum Paſchæ, &c. *ut in Miſſali, pag. 187. Benedictio autem Diaconi & incenſi, ante Evangelium, eodem ritu quo in Miſſâ, datur à D. celebrante ad locum ſuum ſtante. Poſt Evangelium, Celebrans porrectum à Subdiacono Librum Evangelii oſculatur, & incenſatur à Diacono ut in Miſſâ. Deindè Celebrans, depoſitâ cappâ, linteoque præcinctus, nudo capite, & flexis genibus, omnium Canonicorum ibidem ſedentium pedes lavat, ac extergit linteo quo eſt præcinctus (aut mantili quod ei Miniſtratur à Diacono,) & exterſos oſculatur. Interim cantantur à duobus Bordoneriis Antiphonæ ſequentes.*

*Antiph. de 3.*




*Pſ.* Be- a- ti immacu- la- ti in
vi- a ; qui am-bu- lant in le-
ge Do-mi- ni.
*Repetit. Antiph.*
*Antiph. de 4.*
CŒ-nâ fac- tâ , cùm
acce- piſſet Je- ſus lin- te- um ,
præ- cin- xit ſe : de- in- dè
mittit a-quam in pel-vim , &
cœ- pit la- va- re pe- des diſ-
ci- pu- lo- rum , & ex- ter-
ge-re lin- te- o quo e- rat
præ-cinctus. *Pſ.* Magnus Dominus


& lau- da- bi-lis ni- mìs : In
ci- vi-ta- te De- i noſtri , in
monte ſancto e- jus.
*Repet. Ant.*
*Antiph. de 1.*
P Oſt- quàm la- vit pe-
des e- o- rum , di- xit e- is :
Sci- tis quid fe- ce-rim vo-
bis ? Vos vo- ca- tis me ,
Ma-giſ- ter , & Domi- ne ; &
be- nè di- ci-tis ; ſum e-
te-nim : Si ergò e- go la-vi
pedes veſtros , Do- mi- nus &


Ma- giſ- ter ; & vos debe-tis
al- ter al- te- ri- us la- va-re
pe- des. *Pſ.* De-us mi- ſe- re- a-tur
noſtrî , & bene- di- cat no- bis :
il- lu- mí-net vultum ſu-um ſuper
nos , & mi-ſe- re- a- tur noſ-
trî.
*Repetitur Antiph.*
*Antiph. de 8.* E- Xemplum de-di vo-
bis ; ut quemadmodùm e- go
fe- ci vo- bis , i- ta &
vos fa- ci- a- tis. *Pſ.* Quam di-
lecta


lec- ta ta-berna- cu- la tu- a , Do-
mine virtu- tum ! concu- piſcit &
de-fi- cit a- nima me-a in a- tri-
a Do- mi- ni.
*Repetitur Antiph.*
*Antiph. de 5.* IN hoc cognoſcent om-
nes , qui-a diſ-ci- pu- li me- i
eſ- tis , ſi di- lecti- o- nem ha-
bu- e- ri- tis ad in-vicèm.
*Pſ.* Laudate Domi-num in ſanctis
e- jus : lauda-te e-um in firmamen-
to virtu-tis e- jus.
*Repetit. Antiph.*
*Antiph. de 6.* DI- li-gamus nos in-

E




*Finitâ lotione pedum*, *Celebrans* , *lotis manibus*, *nudo adhuc capite cantat* :

℣. Oſtende nobis, Dómine, miſericórdiam tuam;
℟. Et ſalutáre tuum da nobis.
Kyrie , eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie , eléiſon.
Pater noſter. *ſecretò. Celebrans altâ voce dicit:*
℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos à malo.
℣. Suſcépimus , Deus , miſericórdiam tuam ,
℟. In médio templi tui.
℣. Tu mandaſti, Dómine ,
℟. Mandáta tua cuſtodíri nimìs.
℣. Dómine exaudi oratiónem meam ,
℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobiſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

ADeſto, Dómine, quæſumus, officio ſervitútis noſtræ: & quia tu diſcípulis tuis pedes laváre dignátus es, ne deſpícias ópera mánuum tuárum, quæ nobis retinenda mandaſti: ut ſicut exterióra abluuntur inquinamenta, ſic à te ómnium noſtrûm interióra laventur peccáta: Qui vivis & regnas, Deus, per ómnia ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

[ *Si fiat benedictio panis & vini; hæc benedictio habetur in Miſſali, pag. 193.* ]

---

*Feria sexta.*

# IN PARASCEVE.

*POst Paſſionem, Celebrans cantat monitiones, quibus finitis omnia facit, uſquè ad adorationem Crucis, ut præſcribitur in Miſſali.*

*Interim antequàm finiantur monitiones, duo pueri Chori, quatuor Presbyteri deputati & duo Cantores vadunt ad Sacriſtiam Chori: ibi duo ex dictis quatuor Presbyteris induunt ſe albâ, & ſtolâ Diaconali rubeâ, alii verò duo induunt cappas rubeas, & duo Cantores cappas nigras, & ordine quo infrà, vadunt ad Altare Parochiæ.*

*Incedunt primò duo pueri Chori, deindè duo Presbyteri in cappis rubeis, poſteà duo Preſbyteri cum ſuâ ſtolâ Diaconali rubea, portantes velum ſericum ejuſdem coloris; denique duo*

*Cantores in cappis nigris ; & ſic bini & bini incedunt omnes extrà Chorum, procedentes ad Altare Parochiæ.*

*Cùm pervenerint ad infimum gradum Sanctuarii Altaris Parochiæ, ibi remanent omnes, in plano, genibus flexis, præter duos Presbyteros in ſtola Diaconali qui aſcendunt ſoli ad Sanctuarium, ubi priùs parata fuit Crux quam ſuprà dicto velo Coopertam reverenter geſtabunt, verſâ ad Chorum crucifixi facie, alterâ manu Crucis brachia, alterâ pedem ſuſtentantes.*

*Revertuntur omnes ad Chorum, procedentes eo ordine quo venerunt, & cum percurrerint medium ſpatii quod intercedit uſquè ad portam majorem Chori, ibi ſtant omnes, & duo Cantores in cappis nigris cantant improperium ſequens :*



e-du- xiſ- ti me

ut cru- ci- fi- ge-res ? Hæc-

ci- nè red- dis Do-

mi- no ?

*Duo Presbyteri in Cappis rubeis ibidem cantant ſequens triſagion.*

*De 8.* A- Gi- os ô The-

os , A-gi- os iſ-chi- ros ,

A- gi- os a-tha- na-

tos ; e- le- y- ſon

i- mas.

*Idem repetunt latinè duo pueri Chori , cantantes ſequens triſagion.*

*De 8.* S Anctus De- us ,

E 3




*Deindè accedunt omnes ad portam majorem Chori ; ibique omnibus ad Crucem converſis , duo Cantores in cappis nigris cantant ſecundum improperium.*






*Duo Presbyteri in cappis rubeis cantant*, Agios, &c. *& duo pueri Chori*, Sanctus, &c. *eodem ritu quo ſuprà.*

*Tandèm proceditur uſquè ad Lectionarium Chori, ibique à duobus Cantoribus in cappis nigris cantatur tertium improperium ſequens.*

*De 8.*






*Rursùs duo Presbyteri in cappis rubeis cantant* Agios, &c. *& duo pueri Chori,* Sanctus, &c. *eodem ritu quo ſuprà. Poſtea duo Cantores ſiſtunt ſe ad pulpitum majus, duo pueri Chori ad locum ſuum, duò vero Presbyteri in cappis rubeis ad Sacriſtiam redeunt, & ibi cappas deponunt.*

*Soli verò Presbyteri Crucem geſtantes veniunt cum Cruce propè pulpitum majus, inter Sanctuarium & pulpitum, ubi ſtantes, & paululùm diſcooperientes Crucem, mediocri voce cantant:*





di pe- pen- dit.

*Tunc Celebrans qui venit ad infimum gradum Altaris, verſâ facie ad Crucem ſimul cum Miniſtris & Choro flectendo genu, cantat:*



Ve- ni- te, a- do- re-



mus.

*Deindè duo Presbyteri Crucem portantes accedunt ad illam partem Chori quæ eſt media inter Sanctuarium & pulpitum majus, & ibi paulò ampliùs detegentes Crucem, altiori voce iterum cantant:* Ecce lignum Crucis, &c. *ut ſuprà.*

*Celebrans in medio Sanctuarii, genuflectendo cum Miniſtris & Choro, repetit ut ſuprà:* Venite, adoremus.

*Poſteâ iidem duo Presbyteri accedunt cum Cruce propè infimum gradum Sanctuarii, ibique, verſâ facie crucifixi diſcooperti ad Chorum, tertiò cantant adhuc altiùs:* Ecce lignum Crucis, &c. *ut ſuprà notatur.*

*Celebrans in ſuperiori gradu Sanctuarii, unâ cum Miniſtris & Choro flectendo genu, tertiò reſpondet:* Venite, adoremus, &c. *ut ſuprà.*

*Tunc duo Presbyteri deponunt Crucem diſcoopertam ſuper tapetem & pulvinar ibi præparatum ad infimum gradum Sanctuarii, à latere Epiſtolæ, & ibi manent juxtà Crucem manibus junctis & genuflexi, uſquè ad finem adorationis Crucis.*

*Adoratio Crucis fit ut præſcribitur in Miſſali,*

*& quæ cantanda ſunt, dùm ſit adoratio Crucis, notantur in Graduali.*

*Finito Hymno,* Pange lingua, &c. *& repetita ultimâ ſtrophe à Choro, quatuor pueri Chori, aut ſaltèm duo ſtantes ante Crucem cantant Hymnum ſequentem.*

*De 1. in* A.




*Chorus repetit,* Vexilla. *ut notatur in Graduali.*

*Pueri* Quo vulnerátus inſuper
*Chori.* Mucróne diro lánceæ :
Ut nos laváret crímine,
Manávit und*a* & ſánguine.
*Chorus :* Vexilla, &c.

*Pueri* Impleta ſunt quæ cóncinit
*Chori.* David fidélis cármine,
Dicens : in natiónibus
Regnávit à ligno Deus.
*Chorus :* Vexilla, &c.

*Pueri* Arbor decór*a* & fúlgida,
*Chori.* Ornáta regis púrpurâ,
Electa digno ſtípite
Tam ſancta membra tángere.

*Chorus* : Vexilla, &c.

*Pueri Chori.*

Beáta, cujus bráchiis
Seclî pependit prétium,
Statéra facta córporis;
Prædamque tulit tártari.

*Chorus* : Vexilla, &c.

*Pueri Chori.*

O Crux, ave, ſpes única;
Hoc paſſiónis témpore,
Auge piis juſtítiam,
Reiſque dona véniam.

*Chorus repetit*, O Crux, &c.

*Pueri Chori.*

Te, ſumma Deus Trínitas,
Collaudet omnis Spíritus:
Quos per Crucis myſtérium
Salvas, rege per ſécula.

*Chorus* : Te, ſumma, &c. Amen.

*Dùm finitur Hymnus, duo Presbyteri ſivè Diaconi, juxtà Crucem genuflexi, ſurgunt, & erigunt eam : Celebrans verò ſine caſula è Sanctuario deſcendens, ſequentibus Diacono ſine dalmatica, & Subdiacono ſine tunica, flexis genibus ante Crucem imponit :*

*Antiph. de 1.*

*Chorus etiam genibus flexis proſequitur.*






*Choro Antiphonam cantante, Celebrans cum Miniſtris ad Altare vadit., & duo Presbyteri ſive Diaconi qui Crucem geſtaverunt, deferunt eam, per eamdem, quâ venerunt, viam, ad Altare Parochiæ; ibique ſuper tapetem & pulvinar in loco congruo præparatum, Crucem deponunt, ut adoretur à populo; ipſi verò, flexis genibus, ibi priùs adorant illam, & poſteà redeunt ad Sacriſtiam Chori, ubi ſtolam & albam deponunt, & indè revertuntur ad Chorum.*

*Finitâ Antiphonâ, Celebrans caſulam, Diaconus dalmaticam, Subdiaconus tunicam induunt ad Altare; Celebrans verò manibus lotis in cornu Epiſtolæ, deſcendens cum Miniſtris ad infimum gradum Altaris incipit* Confiteor, &c. *Miniſtri reſpondent* Miſereatur tuî, &c. *& repetunt* Confiteor, &c. *deindè Celebrans dicit tantùm* Miſereatur veſtrî, &c. *&* Indulgentiam, &c. *& poſteà ordinatâ Proceſſione more ſolito, itur, præcedentibus Thuriferariis, & altero Subdiacono cum Cruce Proceſſionali, ad Altare Parochiæ, ubi pridiè repoſitum fuit SS. Sacramentum.*

*Cùm eò pervenit Celebrans cum Miniſtris, flexis genibus SS. Sacramentum adorat, tùm illud ter incenſat: deindè acceptâ à Diacono arculâ in qua reconditum eſt, poſt trinam benedictionem*

*dictionem ſuper populum, ab eo, vel à D. D. Archiepiſcopo ſi adſit, in eodem capſula defertur in Chorum, quatuor Canonicis baldachinum & quatuor Præbendatis intortitia ut herì geſtantibus, utroque Choro, alternis cum Muſicis, cantante Hymnum* Lugete, &c. *ut infrà, & repoſito SS. Sacramento ſuper Altare Chori, cetera fiunt ut in Miſſali.*

*Hymnus, de 1. in A.*




Amóris ô miráculum!
O cordis humáni ſtupor!
Inſons Deus neci datur;
Pigébit & ſontes pati!
Nos ſempiternis Crux tua,
O Chriſte, flammis éruit,
Hìc ure vindex, hìc ſeca,
Parcas in æternum modò.
Caro reclámat; ſed Patris
Urger voluntas: nos tuâ
Virtúte da fortes ſequi,
Jeſu, quod exemplo doces.
Livóre ſanátos tuo,
Tuóque lotos ſánguine,

Peccando ne novam ſinas
Paráre nos tibi crucem.
Qui fílium tradit, patri,
Natóque ſit laus víctimæ:
Par ſit tibi laus, qui ſacram
Succendis aram, Spíritus. Amen

## SABBATO SANCTO.

POST *ultimam Prophetiam, cantato Tractu* Quemadmodùm, &c. *Cantores deponunt cappas violaceas, & dictâ Oratione à Celebrante poſt Tractum, iidem Cantores in cappis albis incipiunt ad pulpitum majus, & genibus flexis Litaniam ſequentem, Choro repetente uſquè ad hæc verba* Sancta Maria, *& deinceps reſpondente* ora, *vel* orate, &c.

*Interim Celebrans cum Miniſtris deponit ornamenta violacea, induitque ſe cappâ albâ, & Miniſtri dalmaticis ejuſdem coloris, & præcedentibus duobus Presbyteris in cappis albis, vel cum ſtola alba tantùm, uno portante oleum catechumenorum, altero verò, ſanctum Chriſma, hoſque ſequente Capellano cereum Paſchalem geſtante, & poſt ipſos Subdiacono cum Cruce inter Ceroferarios incedente, ad hæc verba litaniæ,* Sancte Sylve, *proceditur ad Fontes Baptiſmales cantando Litaniam ſequentem.*





mi-ſere-re nobis. Qui es trinus



& unus De-us , miſe-rere nobis.



Sancta Ma-ri- a , o- ra pro nobis.
Sancta Dei génitrix , ora pro nobis.
Sancte Gábriel , ora pro nobis.
Omnes ſancti Principátus & poteſtátes , oráte.
Sancte Andréa , ora pro nobis.
Sancte Matthæe , ora pro nobis.
Sancte Thoma , ora pro nobis.
Omnes ſancti diſcípuli Dómini, oráte pro nobis.
Sancte Juſte , ora pro nobis.
Sancte Pápule , ora pro nobis.
Sancte Antoníne , ora pro nobis.
Omnes ſancti Mártyres , oráte pro nobis.
Sancte Hilári , ora pro nobis.

*Tunc proceditur ad Fontes.*

Sancte Sylve , ora pro nobis.
Sancte Exúperi , ora pro nobis.
Omnes Sancti Confeſſóres , oráte pro nobis.
Sancta Agatha , ora pro nobis.
Sancta Lúcia , ora pro nobis.
Sancta Camilla , ora pro nobis.
Omnes Sanctæ Vírgines , oráte pro nobis.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei , oráte pro nobis.



Propi- ti- us eſto , Exau- di nos ,



Domi-ne.

Ab inſídiis Diáboli, líbera nos, Dómine.
Per Paſſiónem & Crucem tuam, líbera nos.




Ut remiſſiónem ómnium peccatórum noſtrórum nobis dones, te rogámus, audi nos.

*Sequens Verſus cantatur à Celebrante, Cantores eumdem repetunt, repetit denique Chorus; & iterum cantatur à celebrante, repetitur à Cantoribus, & denique à Choro.*

Ut Catechúmenos noſtros Fonte ſacri baptíſmatis purificáre dignéris, te rogámus, audi nos.

*Cantores proſequuntur.*

Ut nobis míſeris miſéricors miſeréri dignéris, te rogámus, audi nos.
Fili Dei, te rogámus, audi nos.




Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exaudi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, dona nobis pacem.

## BENEDICTIO FONTIUM.

*Cum pervenit Proceſſio ad Fontes, Celebrans verſus ad aquilonem, junctis manibus, dicit mediocri voce :* Dóminus vobiſcum. *& Orationem, & cetera quæ pro hac benedictione habentur in Miſſali.*

*Peractâ benedictione Fontium, Celebrans aſpergit Altare, Crucem, Clerum & Populum. Interim duo Cantores in cappis albis, cantant tertiam Litaniam ſequentem, Choro repetente.*



Omnes ſanctæ Virtútes cœlórum, oráte pro nob.
Sancte Joannes Evangeliſta, ora pro nobis.

*Tunc redit Proceſſio ad Chorum.*

Sancte Jacóbe Zebedæi, ora pro nobis.
Sancte Jacóbe Alphæi, ora pro nobis.
Omnes Sancti Apóſtoli, oráte pro nobis.
Omnes Sancti innocentes, oráte pro nobis.
Sancte Laurenti, ora pro nobis.
Sancte Vincenti, ora pro nobis.
Sancte Sebaſtiáne, ora pro nobis.
Omnes Sancti Mártyres, oráte pro nobis.
Sancte Germéri, ora pro nobis.
Sancte Eremberte, ora pro nobis.
Sancte Ludovíce, ora pro nobis.
Omnes Sancti Confeſſóres, oráte pro nobis.
Sancta Cæcília, ora pro nobis.
Sancta Fides, ora pro nobis.
Sancta Genovéfa, ora pro nobis.
Omnes Sanctæ Vírgines, oráte pro nobis.
Omnes Sancti, oráte pro nobis.




Per ſanctam reſurrectiónem tuam, líbera nos, Dómine.
In die judícii, líbera nos, Dómine.



Ut fidem, ſpem, & caritátem nobis dones, te rogámus, audi nos.

Ut fructus terræ dare, & conſerváre dignéris, te rogámus, audi nos.

Ut cunctum pópulum Chriſtiánum pretióſo ſánguine tuo redemptum conſerváre dignéris, te rogámus, audi nos.

Ut nos exaudíre dignéris, te rogámus, audi nos.

Ut ad gaúdia æterna nos perdúcere dignéris, te rogámus, audi nos.

Fili Dei, te rogámus, audi nos.




Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exaudi nos, Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, dona nobis pacem.

*Finitur Litania per* Kyrie, eleiſon, *quod cantatur à Muſicis, incipientibus organis poſt hæc verba*, dona nobis pacem.

# IN DIE SANCTO PASCHÆ, ET PER OCTAVAM.

*IN die ſancto Paſchæ poſt Veſperas, & ſingulis diebus uſquè ad Sabbatum excluſivè, dicto* Benedicamus. *progreditur Clerus, Cereo paſchali ante Crucem præcedente, ad Fontes Baptiſmales cantando quæ infrà notantur. Si verò rationabili aliqua de cauſâ, iſta omittatur Proceſſio, quæ in ea cantantur, non tamen omittuntur, ſed cantantur in Choro; ut fit in Eccleſiis in quibus non eſt Fons Baptiſmalis.*

*Eundo cantatur.*

*Reſponſor. de 1. in* A.






*Statìm Choriſtæ ſecundi Chori inchoant Pſalm. ſequentem.*




*Primus Chorus proſequitur, & ab utroque Choro, alternis, totus decantatur Pſalmus.*

Sit nomen Dómini benedictum , * ex hoc nunc , & uſque in ſéculum.

A ſolis ortu uſquè ad occáſum , * laudábile nomen Dómini.

Excelſus ſuper omnes gentes Dóminus , * & ſuper Cœlos glória ejus.

Quis ſicut Dóminus Deus noſter , qui in

altis hábitat, * & humília réſpicit in cœlo & in terra.

Súſcitans à terra ínopem: * & de ſtércore érigens páuperem.

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli ſui.

Qui habitáre facit ſtérilem in domo: * matrem filiórum lætantem.

Glória Patri, &c.

*Dicto* Sicut erat. *uterque Chorus ſimul cantat, nemine imponente* ℣. *ſeq. cum reclamatione.*




*Pueri Chori cantant*, ℣. Salvávit ſibi déxtera ejus,
*Chorus*, ℟. Et bráchium ſanctum ejus.
*Celebrans*, Orémus.

DEus, qui ad æternam vitam in Chriſti reſurrectióne nos réparas; imple pietátis

tuæ ineffábile ſacramentum ; ut, cùm in majeſtáte ſua Salvátor noſter advénerit, quos feciſti baptiſmo regenerári, fácias beátâ immortalitáte veſtíri ; Per eumdem Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Eundo ad ſtationem cantatur Reſp. ſeq. ſed priùs imponitur à Choriſtis.*

*Reſponſor. de 3.*






*Statim Choriſtæ primi Chori inchoant Pſalm. ſequens.*




*Secundus Corus proſequitur , & ſic alternis accinitur Pſalm. ab utroque Choro.*

Facta eſt Judæa ſanctificátio ejus , * Iſraël poteſtas ejus.

Mare vidit , & fugit : * Jordánis converſus eſt retrorsùm.

Montes exultavérunt ut aríetes , * & colles ſicut agni óvium.

Quid eſt tibi , mare , quòd fugiſti ? * & tu , Jordánis , quia converſus es retrorsùm ?

Montes , exultaſtis ſicut aríetes ? * & colles ſicut agni óvium ?

A

A fácie Dómini mota eſt terra, * à fácie Dei Jacob ;

Qui convertit petram in ſtagna aquárum, * & rupem in fontes aquárum.

Non nobis, Dómine, non nobis, * ſed nómini tuo da glóriam ſuper miſericórdia tua & veritáte tua ;

Nequandò dicant gentes : * Ubì eſt Deus eórum ?

Deus autem noſter in cœlo : * ómnia quæcumque vóluit, fecit.

Simulácra géntium argentum & aurum : * ópera mánuum hóminum.

Os habent, & non loquentur : * óculos habent, & non vidébunt.

Aures habent, & non áudient : * nares habent, & non odorábunt.

Manus habent, & non palpábunt ; pedes habent, & non ambulábunt : * non clamábunt in gútture ſuo.

Símiles illis fiant, qui fáciunt ea, * & omnes qui confídunt in eis.

Domus Iſraël ſperávit in Dómino : * adjútor eórum & protector eórum eſt.

Domus Aáron ſperávit in Dómino : * adjútor eórum & protector eórum eſt.

Qui timent Dóminum, ſperavérunt in Dómino : * adjútor eórum & protector eórum eſt.

Dóminus memor fuit noſtrî, * & benedíxit nobis.

Benedíxit dómui Iſraël : * benedíxit dómui Aáron.

Benedíxit ómnibus qui timent Dóminum, * puſillis cum majóribus.

Adjíciat Dóminus ſuper vos, * ſuper vos, & ſuper fílios veſtros.

Benedicti vos à Dómino, * qui fecit cœlum & terram.

Cœlum cœli Dómino : * terram autem dedit fíliis hóminum.

Non mórtui laudábunt te, Dómine, * neque omnes qui deſcendunt in infernum.

Sed nos qui vívimus, benedícimus Dómino, * ex hoc nunc, & uſque in ſéculum.

Glória Patri, &c.

*Dicto* Sicut erat. *uterque Chorus ſimul, cantat nemine imponente, Verſum ſequentem cum reclamatione.*




℣. Audítam fácite vocem laudis ejus,
℟. Qui póſuit ánimam meam ad vitam.

Orémus.

DEus, qui reſurrectiónis tuæ fidem per baptíſmi grátiam in nobis obſignáre vo-

luiſti : concéde , ut à peccáti morte liberáti , in novitáte vitæ ambulémus ; Qui vivis & regnas Deus in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

*Redeundo , imponunt Choriſtæ Reſp. ſeq.*

*Reſponſor. de 5.*




to- rum , & cru- ci- fi-
gi , & di- e ter- ti- â
re- ſur- ge-re , al- le-
lu- ia , al- le-
lu- ia.
*Cho- riſtæ.*
℣. Ado-
ra- te Do- mi-num in
a-tri- o ſanc-to e-
jus. Commove- a- tur à
fa- ci- e e- jus u- ni- ver-
ſa ter- ra : di- ci- te in
gen- ti-bus qui- a Do-mi- nus



regna- vit à lig- no.

*Clerus ingrediens Chorum cantat.*



* Re-cor-da-



mi- ni , &c.

℣. Lápidem quem reprobavérunt ædificantes,

℟. Hic factus eſt in caput ánguli.

Orémus.

DEus , cujus Fílius pro nobis crucifíxus mundum redímere dignátus eſt ; præſta, ut qui de noſtra redemptióne lætámur , æternis gáudiis , te donante , perfruámur ; Per eumdem Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobiſcum.

℣. Benedicámus Dómino.

## FERIA II.

*S*INGULIS *diebus per Hebdomadam uſquè ad Sabbat. excluſivè , fit eadem Proceſſio , & omnia dicuntur ut in die ſancto Paſchæ , præter orationes quæ cuilibet Feriæ ſunt propriæ ut infrà.*

*In Baptiſterio.* *Oratio.*

DEus, qui renátis ex aqua & Spíritu ſancto cœleſtis regni pandis Introítum : auge ſuper fámulos tuos grátiam quam dediſti ; ut qui ab ómnibus ſunt purgáti peccátis , nullis priventur promiſſis ; Per Chriſtum , &c.

*Ad Stationem,* *Oratio.*

POpulus tuus, quæſumus, Dómine, renovátis exultet ánimæ virtútibus; & vivificatiónis tuæ grátiam conſecútus, in tuo ſemper múnere gloriétur; Per Chriſtum, &c.

*In Choro,* *Oratio.*

DEus, qui pópulum tuum de hoſtis cállidi ſervitúte liberaſti: preces ejus miſericórditer réſpice, & adverſantes ei tuâ virtúte proſterne; Per Dóminum, &c.

---

## FERIA III.

*In Baptiſterio,* *Oratio.*

DEus, per quem nobis redémptio venit, & præſtátur; adóptio réſpice in ópera miſericórdiæ tuæ, ut in Chriſto renátis, & æterna tribuátur hæréditas, & vera libertas; Per eumdem Chriſtum, &c.

*Ad Stationem,* *Oratio.*

FAc, quæſumus, omnípotens Deus, ut qui Paſchálibus remédiis innováti, ſimilitúdinem terréni parentis evâſimus, ad formam cœleſtis transferámur auctóris; Qui tecum vivit & regnat Deus, &c.

*In Choro,* *Oratio.*

DEus, qui nos, in cruce paſſus, prétio magno redímere voluiſti: infunde nobis virtútem auxílii tui, ut noſtra te ſemper vita glorificet; Qui vivis & regnas cum Deo Patre, &c.

## FERIA IV.

*In Baptiſterio,* *Oratio.*

DEus, qui Eccléſiam tuam multíplicas ſóbole renaſcéntium: fac eam propítius gaudére de ſuórum profectibus filiórum; Per Chriſtum, &c.

*Ad Stationem,* *Oratio.*

DEus, qui per Paſchále myſtérium docuiſti nos vetuſtátem vitæ relínquere, & in novitáte ſpíritûs ambuláre: præſta, ut ſacramentis tuis innováti, dona grátiæ tuæ ſervémus; Per Chriſtum.

*In Choro,* *Oratio.*

TUâ nos, quæſumus, Dómine, pietáte cuſtódi; ut qui Unigéniti tui paſſióne ſunt redempti, ejuſdem reſurrectiónis & glóriæ efficiantur partícipes; Per eumdem Dóminum.

## FERIA V.

*In Baptiſterio.* *Oratio.*

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus, ut Eccléſia tua, & ſuórum firmitáte membrórum, & novâ ſemper fœcunditáte lætétur; Per Chriſtum, &c.

*Ad Stationem,* *Oratio.*

LArgíre fámulis tuis, Dómine, grátiam tuam: & præſta, ut qui ad imáginem Filii tui divíno ſunt baptiſmo regeneráti, à regni tui poténtia numquàm divellantur; Per eumdem Chriſtum.

*In Choro*, *Oratio.*

DEus, qui nobis ad celebrandum Paſchále ſacramentum liberióres ánimos præſtitiſti : doce nos, & odiſſe quibus iráſceris, & amáre quæ præcipis; Per Dóminum.

---

## FERIA VI.

*In Baptiſterio*, *Oratio.*

DEus, qui credentes in te fonte baptíſmatis innovaſti : hanc renátis in Chriſto concéde cuſtódiam, ut nullo erróris incurſu grátiam regenerationis amittant; Per eumdem Chriſtum.

*Ad Stationem*, *Oratio.*

DEpelle, Dómine, conſcriptum peccáti lege Chirógraphum, quod in nobis Paſcháli myſtério per reſurrectiónem Fílii tui deleviſti; Qui tecum vivit & regnat Deus.

*In Choro*, *Oratio.*

DEus, qui nos in Chriſto conviviſicaſti & conreſuſcitaſti : érige nos ad conſedentem in déxtera tua noſtræ ſalútis Auctórem; ut qui propter nos judicandus advénit, pro nobis judicatúrus advéniat idem Jeſus Chriſtus Fílius tuus Dóminus noſter; Qui tecum vivit.

---

## IN VIGILIA PENTECOSTES.

*In Vigilia Pentecoſtés, poſt quartam Prophetiam, & cantato Tractu* Quemádmodùm. *Cantores deponunt cappas violaceas, induuntque ſe cappis rubeis pro benedictione Fontium baptiſma-*

*lium ; & omnia fiunt ut ſuprà Sabbato ſancto, paginâ 62.*

# CAPUT V.

## PRIDIE COMMEMORATIONIS OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM.

*IN Feſto omnium Sanctorum poſt Veſperas, vel ſi ſit Sabbatum, poſt Veſperas Dominicæ ſequentis, dicuntur Veſperæ Defunctorum ritu duplici ; Celebranti annuntiatur Antiph. ad* Magníficat. *poſt cujus impoſitionem, in Sacriſtiam pergit ut ſtolâ & pluviali nigri coloris, induat ſe, & ex ea, Cruce præcedente, venit in Chorum ad Orationale ; ibique cantatâ à Choro Antiph. poſt* Magníficat. *dicit ſecretò* Pater noſter. *& clarâ voce,*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem,
℟. Sed líbera nos à malo.
℣. In memória æterna erunt juſti.
℟. Ab auditióne mala non timébunt.
℣. A porta ínferi,
℟. Érue, Dómine, ánimas eórum.
℣. Credo vidére bona Dómini
℟. In terra vivéntium.

*Dicitur Pſalmus ſeq. ſub eodem cantu quo verſiculi præcedentes.*

PSALMUS 145.

LAuda, ánima mea, Dóminum : * laudábo Dóminum in vita mea; pſallam Deo meo quámdiù fúero.

Nolíte confídere in princípibus; * in fíliis hóminum, in quibus non eſt ſalus.

Exíbit ſpíritus ejus, & revertétur in terram ſuam: * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, ſpes ejus in Dómino Deo ipsíus, * qui fecit cœlum & terram, mare, & ómnia quæ in eis ſunt.

Qui cuſtódit veritátem in ſéculum, facit judícium injúriam patiéntibus, * dat eſcam eſuriéntibus.

Dóminus ſolvit compedítos: * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elíſos, * Dóminus díligit juſtos.

Dóminus cuſtódit ádvenas: pupillum & víduam ſuſcípiet; * & vias peccatórum diſperdet.

Regnábit Dóminus in ſécula: * Deus tuus, Sion, in generatiónem & generatiónem.

*Non additur poſt Pſalmum*, Réquiem ætérnam. *ſed continuò Celebrans dicit:*

℣. Requieſcant in pace. ℟. Amen.

℣. Dómine exaudi oratiónem meam;

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobiſcum.

℟. Et cum Spíritu tuo.

Orémus.

FIdélium, Deus, ómnium cónditor & redemptor, animábus famulórum famularumque tuárum remiſſiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam ſemper optavérunt, piis ſupplicatiónibus conſequantur; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritûs ſancti, Deus, per ómnia ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

℣. Réquiem æternam dona eis, Dómine.
℟. Et lux perpétua lúceat eis.

*Deindè Cantores cantant ſeq.*




*His peractis, Cantores imponunt ſeq. ℟. quod proſequitur uterque Chorus, &, præcedente Cruce, itur per primum & ſecundum Clauſtrum ad Eccleſiam ſancti Jacobi, in cujus navi fit abſolutio pro Defunctis, ut infrà.*

*Reſponſor. de 2.*




eſt mi-ſe- ri- cor- di-a tu-
a : §. In- ten- de a-ni- mæ
me- æ , & li- be-ra
e- am. ℣. Domi- ne De- us ,
rex ſe-cu- lo- rum , ſo- lus
pi- us es: * E- xau- di me.
℣. Mi- ſe- re- re me- î , Do-
mi- ne , Fi- li Da- vid : Do- mi-
ne , ad- ju- va me : † Be-
nig- na eſt. ℣. Propo- ſu- it
te De- us pro-pi- ti- a-
ti- o- nem per fi- dem propter
remiſſionem



re-miſ-ſi- o- nem de- lic-



to- rum. § In-ten- de.

*Factâ hac ultimâ reclamatione.*

*Cantores cantant.*



Ky-ri- e , e- le- i- ſon.

*Chorus.*



Chriſte , e- le- i- ſon , Ky-ri- e ,



e- le- i- ſon.

*Celebrans altâ voce , dicit.*



Pa-ter



noſter.

*Reliqua dicuntur ſecretò , interim Celebrans ter aſpergit Aquâ-benedictâ lecticam , vel ſubjacentes tumulos ſi non ſit lectica , & poſteà dicit :*



℣. Et ne nos in-du-cas in ten-



ta- ti- o-nem. ℟. Sed li- be- ra nos



à ma-lo.

*Deindè alternis , & ſub eodem cantu dicitur ab utroque Choro Pſalmus ſequens.*

PSALMUS 129.

DE profundis clamávi ad te, Dómine: * Dómine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obſerváveris, Dómine; * Dómine, quis ſuſtinébit?

Quia apud te propitiátio eſt, * & propter legem tuam ſuſtínui te, Dómine.

Suſtínuit ánima mea in verbo ejus: * ſperávit ánima mea in Dómino.

A cuſtódia matutína uſquè ad noctem * ſperet Iſraël in Dómino;

Quia apud Dóminum miſericórdia, * & copióſa apud eum redémptio.

Et ipſe rédimet Iſraël * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

*Celebrans dicit:*

℣. Réquiem æternam dona eis Dómine,
℟. Et lux perpétua lúceat eis.
℣. A porta ínferi,
℟. Érue, Dómine, ánimas eórum.
℣. Requieſcant in pace.
℟. Amen.
℣. Dómine exaudi oratiónem meam;
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobiſcum;
℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

FIdélium, Deus, ómnium cónditor & redemptor, animábus famulórum famularumque tuárum remiſſiónem cunctórum tribue peccatórum; ut indulgéntiam quam ſemper optavérunt, piis ſupplicatiónibus conſequantur; Qui vivis & regnas in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

℣. Réquiem æternam dona eis Dómine;
℟. Et lux perpétua lúceat eis.

*Deindè Cantores cantant ſeq.*



℣. Requi-eſcant in pa-



ce.

*Chorus reſpond.*



℟. Amen.

*Finitâ Abſolutione in Eccleſia S. Jacobi, itur, tranſeundo per quartum Clauſtrum & navim Eccleſiæ Toloſanæ, cantando Reſponſorum,* Libera, &c. *ut ſuprà, ad Cappellam Purgatorii; ibi ſtante Clero intrà & extrà ante dictam Cappellam, fit eadem Abſolutio quæ ſuprà in Eccleſia S. Jacobi; quibus peractis, redeunt omnes, in ſilentio, ad Chorum, & dicitur Completorium; Celebrans verò cum duobus Cantoribus ad Sacriſtiam; ibique cappas deponunt.*

---

# IN COMMEMORATIONE
## *OMNIUM*
## FIDELIUM DEFUNCTORUM.

*POST Miſſam ſolemnem celebratam pro omnibus Defunctis Celebrans induitur cappâ nigrâ, duoque Cantores pariter cappis ejuſdem coloris induti, ſicut & in Miſſa, imponunt Reſponſor.* Libera, &c. *ut ſuprà, pag. 83, illudque utroque Choro cantante, proceditur, Cruce præcedente, è Choro ad primum clauſtrum in quo ſtat Proceſſio; ibique omnibus hinc indè ordinatis, fit prima Abſolutio eodem modo,*

*quo heri in Eccleſia S. Jacobi , & Cappella Purgatorii , ut habetur ſuprà , pag. 83. & ſeq.*

## SECUNDA ABSOLUTIO.

*Secunda Abſolutio fit in quarto clauſtro ad quod regreditur Clerus per primum cantando ſequens Reſponſor. ſed priùs à Cantoribus impoſitum.*

*Reſponſor. de 2.*






*Deindè alternis ſub eodem cantu dicitur ab utroque Choro Pſalmus ſequens.*

PSALMUS 119.

AD Dóminum, cùm tribulárer, clamávi; * & exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolóſa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolóſam?

Sagittæ potentis acútæ, * cum carbónibus deſolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus eſt! habitávi cum habitántibus Cedar: * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, éram pacíficus : * cùm loquébar illis, impugnábant me gratìs.

*Celebrans dicit :*

℣. Réquiem æternam dona eis, Dómine,
℟. Et lux perpétua lúceat eis.
℣. A porta ínferi,
℟. Érue, Dómine, ánimas eórum.
℣. Requieſcant in pace.
℟. Amen.
℣. Dómine, exaudi oratiónem meam,
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobiſcum,
℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

FIdélium, Deus, ómnium cónditor & redemptor, animábus famulórum famularumque tuárum remiſſiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam ſemper optavérunt, piis ſupplicatiónibus conſequantur; Qui vivis & regnas in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

℣. Réquiem æternam dona eis, Dómine;
℟. Et lux perpétua lúceat eis.

*Cantores dicunt.*



℣. Requi-eſ-cant in



pa- ce.

*Chorus.*



℟. Amen.

*In Abſolutionibus quæ ſequuntur, omnia dicuntur ut in præcedenti exceptis Reſponſor. & Pſalmo cuilibet abſolutioni infrà aſſignatis.*

TERTIA ABSOLUTIO.

*Tertia Abſolutio fit in tertio Clauſtro, ad*

*quod dùm proceditur, cantatur Reſponſorium ſequens.*




*Factâ reclamatione, Cantores dicunt* Kyrie, &c. *ut ſuprà, in ſecunda Abſolutione, pag.* 89, *deindè dicitur ſequens Pſalmus :*

PSALMUS 120.

LEvávi óculos meos in montes, * undè véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino, * qui fecit cœlum & terram.

Nou det in commotiónem pedem tuum, * neque dormítet qui cuſtódit te.

Ecce non dormitábit neque dórmiet, * qui cuſtódit Iſraël.

Dóminus cuſtódit te, Dóminus protéctio tua * ſuper manum déxteram tuam.

Per diem ſol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus cuſtódit te ab omni malo: * cuſtódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus cuſtódiat introítum tuum, & éxitum tuum, * ex hoc nunc, & uſquè in ſéculum. *Celebrans dicit:* Réquiem æternam, &c. *ut* *ſuprà, pag. 90.*

## QUARTA ABSOLUTIO.

*Quarta Abſolutio fit in ſecundo Clauſtro, in antiqua aula Capitulari, ubi fit lotio pedum Fer. V. in Cœna Domini, eundo cantatur* ℟. *ſequens, & dùm fit Abſolutio, Crux ſtat ad portam Eccleſiæ S. Jacobi.*

*Reſponſor. de 2.*






*Factâ reclamatione , Cantores dicunt :* Kyrie , &c. *ut ſuprà , pag. 89 , deindè dicitur Pſal. ſeq. eodem ritu quo præcedentes.*

PSALMUS 121.

LÆtátus ſum in his quæ dicta ſunt mihi : * in domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes noſtrî * in átriis tuis , Jerúſalem.

Jerúſalem quæ ædificátur ut cívitas , * cujus participátio ejus in idipſum.

Illùc enim aſcendérunt tribus, tribus Dómini; * teſtimónium Iſraël, ad confitendum nómini Dómini.

Quia illìc ſedérunt ſedes in judício, * ſedes ſuper domum David.

Rogáte quæ ad pacem ſunt Jerúſalem, * & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua, * & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos & próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei noſtri, * quæſívi bona tibi.

*Celebrans dicit :* Réquiem æternam, &c. *ut ſuprà, pag. 90.*

## QUINTA ABSOLUTIO.

*In navi Eccleſiæ S. Jacobi fit quinta Abſolutio, & dùm proceditur ad eam cantatur ſeq. Reſponſor.*

*Reſponſor. de 8.*






*Factâ reclamatione , Cantores dicunt* Kyrie, &c. *ut ſuprà , pag.* 89 , *deindè dicitur ſeq. Pſalmus eodem ritu quo præcedentes.*

### Psalmus 122.

AD te levávi óculos meos , * qui hábitas in cœlis.

Ecce , ſicut óculi ſervórum in mánibus dominórum ſuórum , * ſicut óculi ancillæ in mánibus dóminæ ſuæ ;

Ita óculi noſtri ad Dóminum Deum noſtrum , * donec miſereátur noſtrî.

Miſerére noſtrî , Dómine , miſerére noſtrî ; * quia multùm repléti ſumus deſpectióne ;

Quia multùm repléta eſt ánima noſtra ; * oppróbrium abundántibus , & deſpéctio ſuperbis.

*Celebrans dicit* Réquiem , &c. *ut ſuprà , pag.* 90.

# SEXTA ABSOLUTIO.

*Sexta Abſolutio fit in Cœmeterio S. Jacobi extra fores occidentales Eccleſiæ ; eundo cantatur Reſponſor.* Hi. *ut infrà.*

[ Nota. *Si propter tempus pluviâ infeſtum, vel aeris intemperiem ad extra fieri nequeat iſta Abſolutio, Crux non egreditur, ſed præcedit per quartum Clauſtrum uſquè ad medium ipſius, ibique ſiſtit ſe ; interìm ſtante Proceſſione, Celebrans cum Diacono, duobus Cantoribus, aliiſque Miniſtris neceſſariis venit ad dictas fores Eccleſiæ, & intra eas fit Abſolutio ; quâ peractâ, pergitur per quartum Clauſtrum ( cantando* ℟. Dómine. *ſeptimæ Abſolutioni aſſignatum ) ad navim Eccleſiæ Toloſanæ, ut intrà fores, ejuſdem fiat Abſolutio quæ in platea fieri ſolet.* ]




eſt




*Factâ reclamatione Cantores dicunt* Kyrie, &c. *ut ſuprà , p.89. Deindè dicitur ſeq. Pſalm. eodem ritu quo præcedentes.*

PSALMUS 123.

NIſi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Iſraël; * niſi quia Dóminus erat in nobis,

Cùm exúrgerent hómines in nos, * fortè vivos deglutiſſent nos.

Cùm iraſcerétur furor eórum in nos, * fórſitan aqua abſorbuiſſet nos.

Torrentem pertransívit ánima noſtra, * fórſitan pertranſiſſet ánima noſtra aquam intolerábilem.

Benedictus Dóminus, * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt * de láqueo venántium.

Láqueus contrítus eſt; * & nos liberáti ſumus.

Adjutórium noſtrum in nómine Dómini, * qui fecit cœlum & terram.

*Celebrans dicit* Réquiem, &c. *ut ſuprà, pag. 90.*

## SEPTIMA ABSOLUTIO.

*Septima Abſolutio fit in platea S. Stephani ante fores Eccleſiæ, & ad eam pergitur per domum Presbyterii, ( niſi per tempus non liceat juxta ſuperiorem rubricam ) cantando Reſponſ. ſequens.*

*Reſponſor. de 1.*








BIBLIOTHÈQUE TOULOUSE UNIVERSITÉ

*Factâ reclamatione, dicitur à Cantoribus* Kyrie, &c. *& Pſalmus ſequens eo ritu quo ſuprà, pag. 89.*

PSALMUS. 124.

QUi confídunt in Dómino, ſicut mons Sion: * non commovébitur in æternum, qui hábitat in Jerúſalem.

Montes in circúitu ejus, & Dóminus in circúitu pópuli ſui, * ex hoc nunc, & uſque in ſéculum;

Quia non relinquet Dóminus virgam peccatórum ſuper ſortem juſtórum; * ut non extendant juſti ad iniquitátem manus ſuas.

Bénefac, Dómine, bonis, * & rectis corde.

Declinantes autem in obligatiónes addúcet Dóminus cum operántibus iniquitátem: * pax ſuper Iſraël.

*Celebrans dicit* Réquiem, &c. *ut ſuprà, pag. 90.*

## OCTAVA ABSOLUTIO.

*Fit in latere ſiniſtro Chori, & extrà Chorum juxtà Capellam S. Stephani, quò pergitur per latus ſeptentrionale Eccleſiæ, & proceditur per portam quæ eſt ſubtùs campanas, cantando ſeq. Reſponſor.*

[ *Si verò præcedens Abſolutio non in platea propter pluviam aut quacumque alia de cauſa, ſed intrà fores Eccleſiæ facta ſit, tunc ex ipſis foribus proceditur per navim ad dictam Capellam S. Stephani cantando* ℟. *ut ſequitur.*



*Reſponſor. de 8.* SCi- o quòd Redemp-


tor me- us vi-
vit , & in no-viſ- ſimo di-
e de ter- ra ſur-
rec- tu- rus ſum , * Et
in car-ne me- a vi- de-
bo De-um
me- um. ℣. O- por-
tet cor-rup-ti- bi- le
hoc indu- e- re in- cor- rup-ti- o-
nem , & mor-ta- le hoc indu- e-
re im- mor- ta- li- ta-




*Poſt reclamationem, Cantores dicunt* Kyrie, &c. *ut ſuprà, pag. 89, deindè dicitur Pſalm. ſeq. eodem ritu quo ſuprà.*

PSALMUS 125.

IN convertendo Dóminus captivitátem Sion, * facti ſumus ſicut conſoláti.

Tunc replétum eſt gáudio os noſtrum, * & lingua noſtra exultatióne.

Tunc dicent inter gentes : * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobiſcum : * facti ſumus lætantes.

Converte, Dómine, captivitátem noſtram, * ſicut torrens in auſtro.

Qui ſéminant in lácrymis, * in exultatióne metent.

Euntes ibant & flebant, * mittentes ſémina ſua.

Venientes autem vénient cum exultatióne, * portantes manípulos ſuos.

*Celebrans dicit* Réquiem, &c. *ut ſuprà, p. 90.*

## NONA ET ULTIMA ABSOLUTIO.

*Semper fit hæc Abſolutio in Choro, quò pergitur per circuitum Chori cantando* ℟. Líbera, &c. *ut notatur ſuprà, pag. 83. In Choro Subdiaconus cum Cruce ſiſtit ſe ad Lectionale, & Celebrans cum Diacono & duobus Cantoribus in capite loci ante Lecticam, ceteris de Clero hinc indè ordinatis, ut de more pro Abſolutionibus quæ fiunt in Choro.*

*Hæc autem Abſolutio fit omnimodè ut prima, quæ omnia habentur ſuprà, pag. 85.*

# CAPUT VI.

## DE EXEQUIIS.

CONSTITUTO *tempore, quo corpus defuncti ſivè Canonici, ſivè Beneficiati aut habituati ad Eccleſiam deferendum eſt, campanis convocatur Clerus, aliique qui funeri intereſſe debent, & in Eccleſiam conveniunt: tùmque omnes de Clero modeſtè, & in ſilentio bini & bini procedunt; Clerico Crucem Proceſſionalem præferente, ad domum defuncti, ſi intrà ſepta Eccleſiæ ſivè intrà Clauſtra, deceſſerit; ſi verò extrà Clauſtra Obierit, Parochus, aut qui vices illius agit, ad domum defuncti procedit; defertur corpus ad Eccleſiam, depoſitoque propè Columnam dictam* d'Orleans, *recedit Parochus, ceteraque peragit Capitulum: tùm aſtantibus ibi omnibus de Choro, omnia fiunt eodem ritu quo ſi proceſſiſſet Capitulum ad domum Defuncti; itaque D. Cantor major habitu Chori, & ſtolâ nigrâ ornatus, ſiſtit ſe ad pedes defuncti, medius inter Clericum, qui aſpergillum defert, & Capellanum qui geſtat librum; deindè nudo capite, accipit de manu Clerici aſpergillum, & corpus aſpergit Aquâ-benedictâ, nihil dicens, in modum Crucis, primò versùs caput & pedes defuncti, 2°. à dextris, & 3°. à ſiniſtris, & continuò recitat unà cum Miniſtris Pſalmum* De profundis, &c. *in cujus finè dicitur* Réquiem æternam, &c. *& poſteà dicitur:*

*Antiph.* Si iniquitátes obſerváveris, Dómine; Dómine, quis ſuſtinébit?

*His expletis duo Cantores adhuc in ſolo habitu Chori, impoſitâ Antiph.* Exultábunt. *imponunt primum verſum Pſalmi ſequentis qui deferendo defunctum per circuitum Chori, alternis ab utroque cantatur Choro; ad ingreſſum Chori dicitur* Réquiem æternam, &c. *omiſſis aliis verſibus Pſalmi ſi quidam adhuc ſuperſint, & cantatur Antiphona,* Exultábunt, &c.

*Interim deponitur corpus ſcilicèt, ſi ſit Canonicus non procul à gradibus Sanctuarii, & ſi Beneficiatus, aut habituatus, ad ingreſſum Chori propè Lectionarium.*

*Antiph. 1. f. Celebrans.*



Exul- tabunt Domi-no.

PSALMUS 50.

*Cantores.*



Miſe- re-re me-î, De-us, *



ſecundùm magnam miſe- ricor-di- am



tu- am.

Et ſecundùm multitúdinem miſeratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea, * & à peccáto meo munda me;

Quóniam iniquitátem meam ego cognoſco, * & peccatum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccávi, & malum coram te feci; * ut juſtificéris in ſermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus conceptus ſum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexiſti : * incerta & occulta ſapiéntiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

Aſperges me hyſſópo, & mundábor : * lavábis me, & ſuper nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium & lætítiam, * & exultábunt oſſa humiliáta.

Averte faciem tuam à peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus ; * & ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua ; * & Spíritum ſanctum tuum ne áuferas à me.

Redde mihi lætítiam ſalutáris tui ; * & ſpíritu principáli confirma me.

Docébo iníquos vias tuas ; * & ímpii ad te convertentur.

Líbera me de ſanguínibus, Deus, Deus ſalútis meæ ; * & exultábit lingua mea juſtítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries ; * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam ſi voluiſſes ſacrifícium, dediſſem útiquè, * holocauſtis non delectáberis.

Sacrifícium Deo ſpíritus contribulátus : * cor contrítum & humiliátum, Deus, non deſpícies.

Benignè fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion, * ut ædificentur muri Jerúſalem.

Tunc acceptábis ſacrifícium juſtítiæ, oblatiónes & holocauſta ; * tunc imponent ſuper altáre tuum vítulos.

Réquiem æternam dona eis, Dómine ; * & lux perpétua lúceat eis.

*Antiph.*





*Deindè Cantores cappis nigris induti ante pulpitum majus ſtantes, imponunt, Choro proſequente, unum è duobus Reſponſoriis ſequentibus pro dignitate defuncti; ſcilicèt pro Epiſcopo aut Sacerdote, dicitur ſequens; pro non Sacerdotibus, dicitur alterum:* Dómine. *ut infrà.*

*Pro Episcopo aut Sacerdote.*




fa- ci- em tu- am à me.
* Adju-tor me- us eſ- to , ne
de-re- lin- quas me. Cre- do
vi- de- re bo- na Do- mi-
ni in ter- ra vi- ven-
ti- um. ℣. Mors in
no- bis o- pe- ra- tur ; haben-tes
au- tem ſpi- ri- tum fi- de- i
cre- dimus , quoni- am qui
ſuſci- ta- vit Je- ſum , &
nos cum Je- ſu ſuſ- ci- ta-




*Pro non Sacerdotibus, loco Reſponſ. præced. dicitur ſequens.*




illa




*Finito Reſponſorio, ſi manè fiant exequiæ, dicitur Miſſa ſolemnis, pro dignitate Defuncti, ut in die obitûs; ſi verò fiant ante vel poſt Veſperas, dicitur juxta uſum Eccleſiæ, Officium Defunctorum cum uno Nocturn. juxtà Fer. & Laudibus, prout habetur ad calcem Pſalterii.*

*Poſt Miſſam celebratam, aut Officium Defunctorum, Celebrans indutus cappâ nigrâ, Miniſtri ei neceſſarii, & Crucifer veniunt ad feretrum. Crucifer medius inter Ceroferarios ſiſtit ſe ſemper ad Caput Defuncti, facie Crucifixi ad Defunctum versâ; Celebrans verò medius inter Miniſtros ſiſtit ſe ſemper ad pedes.*

*His ita diſpoſitis, Celebrans nudo capite, & recto vocis tono dicit ſeq. Orationem.*

*Oratio.*

NOn intres in judícium cum ſervo tuo, Dómine; quia nullus apud te juſtificábitur homo, niſi per te ómnium peccatórum ei tribuátur remiſſio. Non ergò eum tuâ, quæſumus, judiciális ſenténtia premat, quem tibi vera ſupplicátio fídei Chriſtiánæ commendat: ſed, grátiâ tuâ illi ſuccurrente, mereátur evádere judícium ultiónis, qui dùm víveret, inſignítus eſt ſignáculo ſanctæ Trinitátis: Qui vivis & regnas Deus in ſécula ſeculórum. ℟. Amen

*Poſteà duo Cantores imponunt* ℟. Líbera, &c. *ut habetur ſuprà, pag. 83 & ſeq, quod uterque Chorus ſtans & capite detecto proſequitur.*

K

*Circà finem Reſponſorii, Celebrans imponit & benedicit incenſum, miniſtrante Diacono, ſi adſit, vel Thuriferario ut moris eſt.*

*Poſt Reſponſor. Cantores cantant.*







*Uterque Chorus reſpondet.*







*Celebrans altâ voce dicit :*




*Reliqua ſecretò.*

*Interim Celebrans accipit aſpergillum, & factâ profundâ inclinatione versùs altare, circuit feretrum aſpergens ter à parte dextra, & ter à ſiniſtrâ, Miniſtris, partes anteriores cappæ à dextris, & à ſiniſtris elevantibus. Deindè reverſus ad locum ſuum aſpergillum reddit Miniſtro: tunc thuribulum accipit de manu ejuſdem, deindè incenſat corpus ter à parte dextra, & ter à parte ſiniſtra, eodem ritu quo aſperſit, & thuribulum reddit; reverſuſque ad pedes Defuncti cantat :* Et ne nos, &c. *alioſque* ℣℣. *ſeq. utroque Choro reſpondente.*









℣. Educ, Dómine, de cuſtódia ánimam ejus.
℟. Ad confitendum nómini tuo.
℣. Requieſcat in pace.
℟. Amen.
℣. Dómine, exaudi oratiónem meam;
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobiſcum.
℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DEus, cui próprium eſt miſeréri ſemper & párcere, te ſúpplices exorámus pro ánima fámuli tui N. quam de hoc ſéculo migráre juſſiſti; ut non tradas eam in manus inimíci, neque obliviſcáris in finem; ſed júbeas eam à ſanctis Angelis ſúſcipi, & ad pátriam paradíſi perdúci; ut quia in te ſperávit & crédidit, non pœnas inferni ſuſtíneat, ſed gáudia æterna poſſídeat; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

[ *In hac Oratione, & in omnibus aliis, Celebrans addit poſt litteram* N. Epiſcopi, *vel* Sacerdótis, *vel* Diáconi, *vel* Subdiáconi, *ſi Defunctus erat aut Epiſcopus, aut Sacerdos, vel Diaconus, aut Suddiaconus.* ]

*Dictâ Oratione, imponitur à cantoribus ſeq.* ℟. *proſequente utroque Choro, efferendo Corpus ad tumulum.*

*Reſponſor. de 1.*









*Si finito Reſponſorio nondùm perventum eſt ad locum ſepulturæ, repetitur Reſponſ. uſquè ad ℣.*

*Finito Reſponſorio, Celebrans imponit Antiphonam ſeq. & duo Cantores imponunt Canticum.*




CANTICUM ZACHARIÆ. *Luc 1.*




Et eréxit cornu ſalútis nobis , * in domo David púeri ſui ,

Sicut locútus eſt per os ſanctórum , * qui à ſéculo ſunt , Prophetárum ejus ,

Salútem ex inimícis noſtris , * & de manu ómnium qui odérunt nos ;

Ad faciendam miſericórdiam cum pátribus noſtris , * & memorári teſtamenti ſui ſancti :

Jusjurandum quod jurávit ad Abraham patrem noſtrum , * datúrum ſe nobis ;

Ut ſine timóre, de manu inimicórum noſtrórum liberáti , * ſerviámus illi.

In ſanctitáte & juſtítia coram ipſo * ómnibus diébus noſtris.

Et tu, puer, Prophéta Altíſſimi vocáberis ; * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus ,

Ad dandam ſciéntiam ſalútis plebi ejus , * in remiſſiónem peccatórum eórum ,

Per víſcera miſericórdiæ Dei noſtri, * in quibus viſitávit nos óriens ex alto,

Illumináre his qui in ténebris & in umbra mortis ſedent, * ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

Réquiem æternam dona eis, Dómine; * & lux perpétua lúceat eis.

*Antiph.*




*Poſteà Celebrans dicit:*




*Chorus reſpond.*






*Deindè Celebrans altâ voce dicit :*




*Reliqua ſecretò , interim Celebrans ter aſpergit corpus , & poſteà proſequitur dicens :*







*Chorus.*







*Hic cantatur Pſalm.* De profundis. *nempè pro Canonicis , cantatur Muſicè , & pro Præbendatis & Habituatis , in cantu & diſcantu , ſive en* Faux-Bourdon. *Finito Pſalmo , Celebrans dicit :*

℣. A porta ínferi ,
℟. Érue , Dómine , ánimam ejus.
℟. Réquieſcat in pace.
℟. Amen.
℣. Dómine , exaudi oratiónem meam ;
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobiſcum ,
℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

OMnípotens ſempiterne Deus, qui humáno córpori ánimam inſpiráre dignátus es : te ſúpplices exorámus , ut dùm , te jubente , pulvis in púlverem revértitur , tu imáginem tuam, cum Sanctis & Electis tuis, æternis

ſédibus júbeas ſociári; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

℣. Réquiem æternam dona ei, Dómine,

℟. Et lux perpétua lúceat ei.

*Duo Cantores cantant ſeq.*







*Chorus.*




*Poſteà Celebrans dicit* ℣. *ſequentem, nemine reſpondente* ℣. Anima ejus, & ánimæ ómnium fidélium defunctórum per miſericórdiam Dei réquieſcant in pace. *Recedendo Celebrans recitat cum Miniſtris, Pſalmum* De profundis. *Quo finito, dicit Antiph.* Si iniquitátes obſerváveris, Dómine; Dómine, quis ſuſtinébit.

## ABSOLUTIO PRO DEFUNCTIS.

*Hæc Abſolutio ſit in decurſu Proceſſionum, præſertìm in Rogationibus, quandò propè vel per quædam Cæmeteria tranſit Proceſſio, eadem fieri poteſt in fine Proceſſionis.*

*Reſponſor. de 2.*










me pro-fun-dum, neque ur- ge-
at ſu- per me pu- te-us
os ſu- um: E- xau- di
me, quo- ni- am be- nig- na
eſt mi-ſe- ri- cor- di-a tu-
a: * In-ten- de a-ni- mæ
me- æ, & li- be-ra
e- am. ℣. Pro-po- ſu- it
te De- us pro-pi-ti- a-
ti- o- nem per fi- dem propter
re-miſ-ſi- o- nem de- lic-




℣. A porta ínferi,
℟. Érue, Dómine, ánimas eórum.
℣. Requieſcant in pace.
℟. Amen.
℣. Dómine, exaudi oratiónem meam,
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobiſcum,
℟. Et cum ſpíritu tuo.

## Orémus.

DEus, cujus miſeratióne ánimæ fidélium requieſcunt ; fámulis & famulábus tuis, hìc & ubíque in Chriſto quieſcéntibus, da propítius véniam peccatórum : ut à cunctis reátibus abſolúti, tecum ſine fine lætentur ; Per eumdem Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

℣. Réquiem æternam dona eis, Dómine.

℟. Et lux perpétua lúceat eis.

*Deindè Cantores cantant ſeq.*







*Chorus reſpond.*



# CAPUT VII.

## PROCESSIO

*CUM PRECIBUS, ET EXORCISMIS,*

## AD REPELLENDAS TEMPESTATES,

## *ET GRANDINES.*

*STALIM ac hujus Proceſſionis, ſignum per campanas datur, omnes Beneficiati, & habituati, præſertim qui procul ab Eccleſia non ſunt ad eam, Deum deprecaturi, eo quo par eſt zelo properare debent. Cùm ergò venerint, Celebrans, ſivè Dominus Cantor major, ſivè Canonicus Hebdomadarius, ſive Reſpondens, aut quilibet alius illorum vices ſupplens, cottâ & ſtolâ violaceâ cum cappas ejuſdem coloris indutus, præcedente Cruce inter duos Ceroferarios, cum Acolyto de vaſe Aquæ-benedictæ, & ceremoniario cum Proceſſionali Eccleſiæ, procedit, habens præ manibus parvam Crucem pretioſam velo coopertam, è Sacriſtia per medium Chori ad Altare Parochiæ, ubi omnibus genuſlexis in navi, Cantoribus ad cancellos Sanctuarii, & Celebrante ad gradus Altaris, imponitur à duobus Cantoribus ſolâ cottâ indutis, Hymnus,* Veni, Creátor, &c. *ut infrà, & fit Proceſſio per circuitum plateæ S. Stephani, ſi per tempus ad extrà fieri liceat; ſed ſemper finitur Hymnus, vel intrà vel extrà fores Eccleſiæ, ibique dicto*

*verſu*

*verſu poſt Hymnum cum Oratione ; dicuntur preces, fiuntque Exorciſmi ut infrà.*

*Hymnus, de 8.*




Qui paraclétus díceris,
Donum Dei altíſſimi,
Fons vivus, ignis, cáritas,
Et ſpiritális únctio.
Tu ſeptíformis múnere,
Dextræ Dei tu dígitus,
Tu ritè promiſſum Patris,
Sermóne ditans gúttura.
Accende lumen ſénſibus,
Infunde amórem córdibus,
Infirma noſtri córporis
Virtúte firmans pérpeti.
Hoſtem repellas lóngiùs;
Pacemque dones prótinus;
Ductóre ſic te prævio,
Vitémus omne nóxium.

Per te ſciámus da Patrem:
Noſcámus atque Fílium;
Te utriuſque Spíritum
Credámus omni témpore.
Sit laus Patri; laus Fílio;
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Afflante quo mentes ſacris
Lucent & ardent ígnibus. Amen.

℣. Emittes ſpíritum tuum, & creábuntur;
℟. Et renovábis fáciem terræ.

Orémus.

DEus, qui corda fidélium ſancti Spíritûs illuſtratióne docuiſti: da nobis in eódem Spíritu recta ſápere & de ejus ſemper conſolatióne gaudére; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Deindè Celebrans tria ſigna Crucis faciet verſus ad nubes, & poſtremo ſuper ſeipſum: dicens:*

PEr ſignum † Crucis, de inimícis † noſtris líbera nos, † Deus noſter. In nómine Patris, † & Fílii, & Spíritûs ſancti. ℟. Amen.

*Poſteà dicunt omnes ſimul, & altâ voce Symbolum fidei, ut infrà.*

CRedo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatórem cœli & terræ: Et in Jeſum Chriſtum Fílium ejus únicum, Dóminum noſtrum: qui conceptus eſt de Spíritu ſancto, natus ex María Vírgine: paſſus ſub Póntio Piláto, crucifíxus, mórtuus, & ſepúltus: deſcéndit ad ínferos: tértiâ die reſurréxit à mórtuis: aſcendit ad cœlos, ſedet ad déxteram Dei Patris omnipotentis: indè ventúrus eſt judicáre vivos & mórtuos. Credo in Spíritum ſanctum, ſanctam Eccléſiam cathólicam, Sanctórum communiónem, remiſſiónem peccatórum, car-

nis reſurrectiónem, vitam æternam. ℟. Amen.

*Poſtea Celebrans dicit:*

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.
Pater noſter. *Reliqua ſecretò.*
℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem;
℟. Sed líbera nos à malo.
℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini,
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Sit nomen Dómini benedictum,
℟. Ex hoc, nunc, & uſque in ſéculum.
℣. Exurgat Deus, & diſſipentur inimíci ejus;
℟. Et fúgiant qui odérunt eum, à fácie ejus.
℣. Exurge, Chriſte, ádjuva nos,
℟. Et líbera nos, propter nomen tuum.
℣. Dómine exaudi oratiónem meam;
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobiſcum,
℟. Et cum Spíritu tuo.

Orémus.

DOmine, Jeſu Chriſte, qui feciſti cœlum & terram, mare, & ómnia quæ in eis ſunt, quique flúmini Jordánis benedíxiſti, atque in eo baptizári voluiſti, & tuas ſanctíſſimas manus, & bráchia ſacratíſſima in Cruce † extendiſti, quibus aërem ſanctificaſti; obſecrámus immenſam pietátis, & bonitátis tuæ abundántiam; quátenùs has nubes, quas ante me, & poſt me, & ſupra me, à dextris & à ſiniſtris vídeo aërem perturbáre; diſſólvere & annihiláre dignéris, ut alligáta poteſtas dæmonum ímpiè deſæviéntium defíciat & turbétur, ad laudem tui ſanctíſſimi nóminis, & potentíſſimæ majeſtátis tuæ; Qui vivis & regnas, Deus, in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

*Celebrans ad nubes converſus ſignat eas ſigno Crucis dicens :*

CIrcumdet te , nubes , Deus Pater ; † Circumdet te Deus Fílius ; † Circumdet te Deus Spíritus † ſanctus. Déſtruat te Deus Pater ; † Déſtruat te Deus Fílius ; † Déſtruat te Deus Spíritus † ſanctus. Cómprimat te Deus Pater ; † Cómprimat te Deus Fílius ; † Cómprimat te Deus Spíritus † ſanctus. ℟. Amen.

*OBSECRATIO.*

SAnctus Mathæus, Sanctus Marcus, Sanctus Lucas , Sanctus Joannes Evangeliſtæ , qui Chriſti Evangélium per quátuor mundi partes divulgárunt , ipſi ſuis méritis & précibus, hanc tempeſtátem à término iſto , & ab ómnibus Chriſtianórum fínibus , ab eódem Dómino noſtro Jeſu Chriſto obtíneant effugári & depelli.

*EXORCISMUS.*

*Celebrans tecto capite dicit :*

ET ego peccátor , & Chriſti Sacerdos ( ſeu Miniſter ), licèt indignus , auctoritáte & virtúte ejuſdem Dei , & Dómini noſtri Jeſu Chriſti , ſummi Imperatóris , non meâ poténtiâ inníxus , & confíſus , vobis præcípio , immundíſſimi ſpíritus , qui has nubes, ſeu nébulas concitátis , in virtúte ejuſdem Dei , & Dómini noſtri Jeſu Chriſti , † per ſanctíſſimam ejus incarnatiónem , per ſanctam nativitátem , per baptiſmum & jejúnium ipſíus , per ejus ſacratíſſimam Crucem , † & Paſſiónem , per ſanctam Reſurrectiónem , per admirábilem Aſcenſiónem , per tremendum Adventum ejus & judícium , per mérita intemerátæ ſemperque Vírginis Maríæ , & S. Stéphani , & per mérita

ómnium Sanctórum; ut exeátis ab eis, & eas diſpergátis in locis ſylveſtribus & incultis: quátenùs nocére non poſſint homínibus, animálibus, frúctibus, herbis, arbóribus, aut quibuſcumque rebus humánis úſibus deputátis; Per eumdem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui ventúrus eſt judicáre vivos & mórtuos, & ſéculum per ignem. ℟. Amen.

IPſe vobis ímperat, dæmones, qui has nubes commovétis, de quo in nube lúcida dictum eſt, Hic eſt Fílius meus dilectus, in quo mihi benè complácui. † Ipſe vobis ímperat, qui ſuâ ſacratíſſimâ Cruce, & córporis ſui ſanctíſſimi in ea extenſióne aërem purgávit. † Ipſe vobis ímperat, qui per mortem ſuam, Vos, Príncipem veſtrum, mortemque devícit & ligávit, atque æternæ gehennæ mancipávit ígnibus. † Ipſe vobis ímperat, qui inferno ſpoliáto ſurréxit à mórtuis. † Ipſe vobis ímperat, qui poſt quadraginta dies, nube ſuſceptus, virtúte ſuâ aſcendit in Cœlum. † Ipſe vobis ímperat, qui ventúrus eſt judicáre vivos & mórtuos, & ſéculum per ignem. ℟. Amen.

*Poſteà elevans Crucem in aëra dicit:*

ECce lignum ſanctíſſimæ Crucis: Fúgite partes adverſæ: vicit enim vos & mundum, Dóminus noſter Jeſus Chriſtus Fílius Dei, Imperátor ſummus, leo de Tribu Juda, Radix David.

*Poſteà Celebrans aſpergit Aquâ-benedictâ, in mòdum Crucis,* † *per quatuor latera. Si nondùm quievit tempeſtas, dicenda ſunt alternatim quæ ſequuntur.*

## *SYMBOLUM S. ATHANASII.*

QUicumque vult ſalvus eſſe, * ante ómnia opus eſt ut téneat cathólicam fidem:

Quam niſi quiſque íntegram inviolatamque ſerváverit, * abſque dúbio in æternum períbit.

Fides autem cathólica hæc eſt, * ut unum Deum in Trinitáte, & Trinitátem in Unitáte venerémur;

Neque confundentes perſónas, * neque ſubſtántiam ſeparantes.

Alia eſt enim perſóna Patris, ália Fílii, * ália Spíritûs ſancti.

Sed Patris, & Fílii, & Spíritûs ſancti una eſt divínitas, * æquális glória, coætérna majeſtas.

Qualis Pater, talis Fílius, * talis Spíritus ſanctus.

Increátus Pater, increátus Fílius, * increátus Spíritus ſanctus.

Immenſus Pater, immenſus Fílius, * immenſus Spíritus ſanctus.

Æternus Pater, æternus Fílius, * æternus Spíritus ſanctus.

Et tamen non tres æterni, * ſed unus æternus.

Sicut non tres increáti, nec tres immenſi, * ſed unus increátus, & unus immenſus.

Simíliter omnípotens Pater, omnípotens Fílius, * omnípotens Spíritus ſanctus;

Et tamen non tres omnipotentes, * ſed unus omnípotens.

Ita Deus Pater, Deus Fílius, * Deus Spíritus ſanctus;

Et tamen non tres dii, * ſed unus eſt Deus.

Ita Dóminus Pater, Dóminus Fílius, * Dóminus Spíritus ſanctus;

Et tamen non tres dómini, * ſed unus eſt Dóminus.

Quia ſicut ſingillátim unamquamque perſónam, Deum ac Dóminum confitéri chriſtiánâ

veritáte compéllimur ; * ita tres deos aut dóminos dícere cathólicâ religióne prohibémur.

Pater à nullo eſt factus , * nec creátus , nec génitus.

Fílius à Patre ſolo eſt , * non factus , nec creátus , ſed génitus.

Spíritus ſanctus à Patre & Fílio , * non factus , nec creátus , nec génitus , ſed procédens.

Unus ergò Pater , non tres patres : unus Fílius , non tres fílii : * unus Spíritus ſanctus , non tres Spíritus ſancti.

Et in hac Trinitáte nihil prius aut poſtérius , nihil majus aut minus ; * ſed totæ tres perſónæ coætérnæ ſibi ſunt & coæquáles.

Ita ut per ómnia , ſicut jam ſuprà dictum eſt , * & Unitas in Trinitáte , & Trínitas in Unitáte veneranda ſit.

Qui vult ergò ſalvus eſſe , * ita de Trinitáte ſéntiat.

Sed neceſſárium eſt ad æternam ſalútem , * ut incarnatiónem quoque Dómini noſtri Jeſu Chriſti fidéliter credat.

Eſt ergò fides recta , ut credámus & confiteámur * quia Dóminus noſter Jeſus Chriſtus Dei Fílius , Deus & homo eſt.

Deus eſt ex ſubſtántia Patris ante ſécula génitus , * & homo eſt ex ſubſtántia matris in ſéculo natus.

Perfectus Deus , perfectus homo ; * ex ánima rationáli , & humána carne ſubſiſtens.

Æquális Patri ſécundùm divinitátem , * minor Patre ſécundùm humanitátem.

Qui licèt Deus ſit & homo , * non duo tamen , ſed unus eſt Chriſtus.

Unus autem non converſióne divinitátis in

carnem, * ſed aſſumptióne humanitátis in Deum.

Unus omnínò, non confuſióne ſubſtántiæ, * ſed unitáte perſónæ.

Nam ſicut ánima rationális & caro unus eſt homo; * ita Deus & homo unus eſt Chriſtus.

Qui paſſus eſt pro ſalúte noſtra, deſcendit ad ínferos, * tértiâ die reſurréxit à mórtuis:

Aſcendit ad cœlos, ſedet ad déxteram Dei Patris omnipotentis, * indè ventúrus eſt judicáre vivos & mórtuos:

Ad cujus adventum omnes hómines reſúrgere habent cum corpóribus ſuis, * & reddiitúri ſunt de factis própriis ratiónem.

Et qui bona egérunt, ibunt in vitam æternam; * qui vero mala, in ignem æternum.

Hæc eſt fides cathólica: * quam niſi quiſque fidéliter firmiterque credíderit, ſalvus eſſe non póterit.

*Poſt Symbolum dicitur ſequens Antiphona.*

SAlve, Regína, mater miſericórdiæ; vita, dulcédo, & ſpes noſtra, ſalve: Ad te clamámus, éxules fílii Evæ; ad te ſuſpirámus, gementes & flentes in hac lacrymárum valle: eïa ergò, advocáta noſtra, illos tuos miſericordes óculos ad nos converte; & Jeſum benedictum fructum ventris tui, nobis poſt hoc exílium oſtende; ô clemens, ô pia, ô dulcis Virgo María.

*Alia Antiphona.*

SUb tuum præsídium confúgimus, ſancta Dei Génitrix: noſtras deprecatiónes ne deſpícias in neceſſitátibus, ſed à perículis cunctis líbera nos ſemper, Virgo glorióſa & benedicta.

*Poſteà dicitur Cantic. ſeq. & in fine cujuſlibet Verſûs dicitur.* Gloria Patri, *&c.*

CANTICUM TRIUM PUERORUM. *Dan.* 3.

BEnedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino:* laudáte & ſuperexaltáte eum in ſécula.

Glória Patri , & Fílio , & Spirítui ſancto.

Benedícite , Angeli Dómini , Dómino : * benedícite , cœli , Dómino. Glória , &c.

Benedícite , aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt , Dómino : * benedícite , omnes virtútes Dómini , Dómino. Glória , &c.

Benedícite , ſol & luna , Dómino : * benedícite , ſtellæ cœli , Dómino. Glória , &c.

Benedícite , omnis imber & ros , Dómino : * benedícite , omnes ſpíritus Dei , Dómino. Glória , &c.

Benedícite , ignis & æſtus , Dómino : * benedícite , frigus & æſtus , Dómino. Glória,&c.

Benedícite , rores & pruína , Dómino : * benedícite , gelu & frigus , Dómino. Glória, &c.

Benedícite , glácies & nives , Dómino : * benedícite , noctes & dies , Dómino. Glória,&c.

Benedícite , lux & ténebræ , Dómino : * benedícite , fulgúra & nubes , Dómino. Glória,&c.

Benedícat terra , Dóminum , * laudet & ſuperexaltet eum in ſécula. Glória , &c.

Benedícite , montes & colles , Dómino : * benedícite , univerſa germinántia in terra, Dómino. Glória , &c.

Benedícite , fontes , Dómino : * benedícite , mária & flúmina , Dómino. Glória , &c.

Benedícite , cete & ómnia quæ moventur in aquis , Dómino : * benedícite , omnes vólucres cœli , Dómino. Glória , &c.

Benedícite , omnes béſtiæ & pécora , Dómino : * benedícite , fílii hóminum , Dómino. Glória , &c.

Benedícat Iſraël Dóminum: * laudet & ſuperexaltet eum in ſécula. Glória, &c.

Benedícite, ſacerdótes Dómini, Dómino: * benedícite, ſervi Dómini, Dómino. Glória, &c.

Benedícite, ſpíritus & ánimæ juſtórum, Dómino: * benedícite, ſancti & húmiles corde, Dómino. Glória, &c.

Benedícite, Ananía, Azaría, Míſael, Dómino: * laudáte & ſuperexaltáte eum in ſécula. Glória, &c.

℣. Benedicámus Patrem & Fílium cum ſancto Spíritu.

℟. Laudémus, & ſuperexaltémus eum in ſécula.

℣. Ora pro nobis, ſancta Dei Génitrix;

℟. Ut digni efficiámur promiſſiónibus Chriſti.

℣. Exurge, Chriſte, ádjuva nos,

℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam,

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobiſcum,

℟. Et cum Spíritu tuo.

Orémus.

OMnípotens ſempiterne Deus, qui dediſti fámulis tuis in confeſſióne veræ fídei, ætérnæ Trinitátis glóriam agnóſcere, & in poténtia majeſtátis adoráre unitátem; quæſumus, ut ejuſdem fídei firmitáte, ab ómnibus ſemper muniámur adverſis.

PRótege, Dómine, fámulos tuos ſubsídiis pacis; & beátæ Maríæ ſemper Vírginis patrocínio confidentes, à cunctis hóſtibus & perículis redde ſecúros.

A Domo tua, quæſumus, Dómine, Spirituáles nequítiæ repellantur, & aereárum diſcédat malígnitas tempeſtátum.

AD te nos, Dómine, clamantes exaudi, & aëris ſerenitátem nobis tríbue ſupplicantibus; ut, qui juſtè pro peccátis noſtris afflígimur, miſericórdiâ tuâ præveniente, clémentiam ſentiámus.

LArgíri & conſerváre fructus terræ dignáre, Dómine, Deus noſter, ut temporálibus gaudeámus auxíliis, & proficiámus ſpiritálibus incrementis; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℞. Amen.

*Additur Antiph. Patroni Eccleſiæ cum ℣. & Oratione.*

*Ant.* STéphanus plenus grátiâ & fortitúdine faciébat prodígia & ſigna magna in pópulo. (*T. P.* Allelúia)

℣. Confirmátum eſt cor ejus:

℞. Non commovébitur, donec deſpíciat inimícos ſuos.

Orémus.

OMnípotens ſempiterne Deus, qui primítias Mártyrum in beáti Levítæ Stéphani ſánguine dedicaſti; tríbue, quæſumus, ut pro nobis interceſſor exiſtat; qui pro ſuis étiam perſecutóribus exorávit Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, Qui tecum vivit & regnat in ſécula ſeculórum. ℞. Amen.

*Poſteà, facto à celebrante ſigno † Crucis versùs nubes, omnes recedunt. Tempore tempeſtuoſo perſeverante, cantantur Litaniæ SS. cum precibus, ut infrà in Rogationibus, & fit proceſſio per circuitum Clauſtri, Chori & navis Eccleſiæ, & terminatur ad Altare Parochiæ.*

# CAPUT VIII.

# DE LITANIIS

## ANTE MISSAM CONVENTUALEM.

*S*INGULIS *diebus non feſtivis per Annum ſit in Eccleſia Toloſana proceſſio ante Miſſam Conventualem, ad poſcenda ſuffragia Sanctorum. Fit autem per circuitum Chori à Feſto omnium SS. uſque ad Feriam quartam Cinerum, excluſivè; & circà Clauſtrum, à Paſcha uſque ad dictum Feſtum omnium Sanctorum.*

*Omittuntur autem hæ Proceſſiones toto Tempore Adventûs uſque poſt Octavam Epiphaniæ immediatè; toto Tempore Quadrageſimæ, uſque ad Feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis; A Dominica quinta poſt Paſcha, uſque ad Feriam ſecundam poſt Dominicam SS. Trinitatis.*

*Omittuntur etiam omnibus diebus Dominicis, & Feſtivis; per Octavas Corporis Chriſti, Inventionis S. Stephani, & Dedicationis Eccleſiæ. Item, diebus in quibus ſunt obitus cum Proceſſione, vel quandò facienda eſt alia Proceſſio poſt Miſſam, vel poſt Veſperas, quacumque de cauſa; vel quandò fiunt Exequiæ in Choro poſt Miſſam Conventualem vel poſt Veſperas; vel quandò poſt completum Officium, dicitur Miſſa votiva pro re gravi, aut de Mandato DD. Archiepiſcopi; vel quandò denique cantari debet* Te Deum. *De Mandato ejuſdem DD. Archiepiſcopi.*

*Quandò hæ proceſſiones locum habent, finitâ*

*horâ*

*horâ quæ præcedit Miſſam, duo Cantores ſolâ cottâ induti, ad Pulpitum majus, cum ceteris omnibus in Choro genuflexi imponunt Litanias SS. ut habentur infrà. Ad Verſum* Sancta María, *&c. ſurgunt omnes, & celebrans cum cappa coloris convenientis, & Diaconus cum Dalmatica ejuſdem coloris, præcedente Subdiacono cum Cruce, accedunt è Sacriſtia ad Chorum, & fit proceſſio vel intrà Clauſtrum vel per circuitum Chori, pro diverſitate temporum. Ubi rediit Proceſſio, genuflectunt omnes in Choro, ſcilicèt, celebrans cum Miniſtris, ad gradus Altaris; Cantores ad Pulpitum majus, & omnes alii in locis ſuis. Finitis Litaniis non adduntur Preces; ſed ante gradus Altaris dicuntur à pueris Chori Verſus, & à celebrante orationes quæ habentur infrà poſt Litanias.*

## LITANIÆ QUOTIDIANÆ.






Sancta Dei génitrix, ora pro nobis.
Sancte Míchaël, ora pro nobis.
Sancte Gábriel, ora pro nobis.
Omnes ſancti Angeli, & Archángeli, oráte.
Omnes Sancti beatórum Spiríτuum órdines, oráte.
Sancte Joannes-Baptiſta, ora pro nobis.
Sancte Joſeph, ora pro nobis.
Omnes ſancti Patriarchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora pro nobis.
Sancte Paule, ora pro nobis.
Sancte Matthæe, ora pro nobis.
Sancte Joannes, ora pro nobis.
Sancte Marce, ora pro nobis.
Sancte Luca, ora pro nobis.
Omnes Sancti Apóſtoli & Evangeliſtæ, oráte.
Omnes ſancti diſcípuli Dómini, oráte pro nobis.
Sancte Stéphane, ora pro nobis.
Sancte Saturníne, ora pro nobis.
Sancte Pápule, ora pro nobis.
Sancte Laurenti, ora pro nobis.
Sancte Antoníne, ora pro nobis.

Sancti Cyrice & Julitta, oráte pro nobis.
Sancti Aſiſcle & Victória, oráte pro nobis.
Sancte Eadmunde, ora pro nobis.
Omnes Sancti Martyres, oráte.
Sancte Ambróſi, ora pro nobis.
Sancte Auguſtíne, ora pro nobis.
Sancte Hierónime, ora pro nobis.
Sancte Athanáſi, ora pro nobis.
Sancte Baſíli, ora pro nobis.
Sancte Honoráte, ora pro nobis.
Sancte Hilári, ora pro nobis.
Sancte Sylvi, ora pro nobis.
Sancte Exúperi, ora pro nobis.
Sancte Germéri, ora pro nobis.
Sancte Eremberte, ora pro nobis.
Sancte Sylvine, ora pro nobis.
Sancte Bertrande, ora pro nobis.
Omnes Sancti Pontífices & Confeſſóres, oráte.
Omnes ſancti Doctóres, oráte pro nobis.
Sancte Honeſte, ora pro nobis.
Sancte Raymunde, ora pro nobis.
Sancte Antóni, ora pro nobis.
Sancte Domínice, ora pro nobis.
Sancte Franciſce, ora pro nobis.
Sancte Roche, ora pro nobis.
Omnes ſancti Sacerdótes & Levítæ, oráte.
Omnes ſancti Mónachi & Eremítæ, oráte.
Sancta Anna, ora pro nobis.
Sancta Agatha, ora pro nobis.
Sancta Catharína, ora pro nobis.
Sancta Genovéfa, ora pro nobis.
Sancta Clotildis, ora pro nobis.
Sancta Radegundis, ora pro nobis.
Sancta Bathildis, ora pro nobis.
Sancta Theréſia, ora pro nobis.
Omnes Sanctæ Vírgines & Víduæ, oráte.

Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercedíte.



Propi- ti- us eſ-to, parce nobis,



Domi-ne.



Propi- ti- us eſto, Exau-di nos,



Domi-ne.

Ab omni malo, líbera nos, Dómine.
Ab omni peccáto, líbera.
Ab ira tua, líbera.
A ſubitánea & improvíſa morte, líbera.
Ab inſídiis Diáboli, líbera nos, Dómine.
A Spíritu fornicatiónis, líbera.
Ab ira, & ódio, & omni mala voluntáte, líb.
A fúlgure & tempeſtáte, líbera.
A morte perpétua, líbera.
Per myſtérium ſanctæ incarnatiónis tuæ, líb.
Per Adventum tuum, líbera.
Per Nativitátem tuam, líbera.
Per Baptiſmum & ſanctum Jejúnium tuum, líb.
Per Crucem & Paſſiónem tuam, líbera.
Per mortem & ſepultúram tuam, líbera.
Per ſanctam reſurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem Aſcenſiónem tuam, líbera.
Per Adventum Spíritûs ſancti paracléti, líbera.
In die judícii, líbera nos, Dómine.



Peccatores, te rogamus, audi nos.

Ut ad veram pœniténtiam nos perdúcere dignéris, te rogámus, audi nos.

Ut Eccléſiam tuam ſanctam régere & conſerváre dignéris, te rogámus, audi nos.

Ut Domnum Apoſtólicum & omnes gradus Eccléſiæ in ſancta religióne conſerváre dignéris, te rogámus, audi nos.

Ut Antíſtitem noſtrum, & omnes congregatiónes illi commiſſas, in tuo ſancto obſéquio conſerváre dignéris, te rogámus, audi nos.

Ut Régibus & Princípibus Chriſtiánis pacem & veram concórdiam donáre dignéris, te rog.

Ut cuncto pópulo Chriſtiáno pacem & unitátem largíri dignéris, te rogámus, audi nos.

Ut noſmetipſos in tuo ſancto ſervítio confortáre & conſerváre dignéris, te rogámus.

Ut mentes noſtras ad cœléſtia deſidéria érigas, te rogámus, audi nos.

Ut ómnibus benefactóribus noſtris ſempitérna bona retríbuas, te rogámus, audi nos.

Ut ánimas noſtras, fratrum, propinquórum, & benefactórum noſtrórum, ab æterna damnatióne erípias, te rogámus, audi nos.

Ut fructus terræ dare & conſerváre dignéris, te rogámus, audi nos.

Ut ómnibus fidélibus defunctis réquiem ætérnam donáre dignéris, te rogámus, audi nos.

Ut nos exaudíre dignéris, te rogámus, audi nos.

Fili Dei, te rogámus, audi nos.



Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exaudi nos, Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miſerére nobis.




℣. Ut Eccléſiam tuam ſanctam régere & conſerváre dignéris,

℟. Te rogámus, audi nos.

℣. Dómine ſalvum fac Regem noſtrum Ludovícum,

℟. Et exaudi nos in die quâ invocavérimus te.

*A Feſto S. Marci uſque poſt collectos fructus additur.*

℣. Ut fructus terræ dare & conſerváre dignéris,

℟. Te rogámus, audi nos.

Orémus.

ECcléſiæ tuæ, quæſumus, Dómine, preces placátus admitte: ut deſtructis adverſitátibus, & erróribus univerſis, ſecúrâ tibi ſérviat libertáte.

QUæſumus, omnípotens Deus, ut fámulus tuus Rex noſter *N.* qui tuâ miſeratióne ſuſcépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium percípiat incrementa; quibus decenter ornátus, vitiórum monſtra devitáre, hoſtes ſuperáre, & ad te qui via, véritas,

& vita es, gratióſus váleat perveníre; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Quandò dicitur* ℣. Ut fructus, *&c. non concluditur Oratio præcedens, ſed additur una è duobus ſequentibus.*

A Domo tua, quæſumus, Dómine, ſpiritáles nequítiæ repellantur: & aereárum diſcédat malígnitas tempeſtátum; Per.

*Alia Oratio.*

LArgíri, & conſerváre fructus terræ dignáre, Dómine Deus noſter; ut temporálibus gaudeámus auxíliis, & proficiámus ſpirituálibus incrementis; Per Chriſtum.

# CAPUT IX.

## DE PROCESSIONIBUS POST VESPERAS FIERI SOLITIS.

QUALIBET *anni die, exceptis quæ infrà notantur, dicto poſt Veſperas ultimo* Benedicámus. *Cantores imponunt unam ex Antiph. B. M. V. pro diverſitate temporis; ſcilicèt, A Dominica prima Adventûs uſquè ad Præſentationem Domini incluſivè, imponitur Antiph.* Alma, *&c. ut habetur ſuprà pag. 8. A die tertia Februarii uſquè ad Fer. V. in Cœna Domini excluſivè, imponitur Antiph.* Ave, *&c. ut ſuprà pag. 9. A Paſcha uſquè ad Dominicam SS. Trinitatis, imponitur Antiph.* Régina cœli, *&c. ut ſuprà pag. 10. A Feſto SS. Trinitatis uſquè ad Adventum, imponitur Antiph.* Salve Regína, *&c. ut ſuprà pag. 11. & cantando unam ex prædictis Anti-*

*phonis, eamque partim repetendo ſi neceſſe ſit, itur proceſſionaliter, Cruce præcedente, ad Altare Parochiæ ubì fit ſtatio, ad quam conſiſtit, Crux verſus vas aquæ luſtralis, Clerus hinc indè ordinatur in navi, & celebrans aſcendit ad Altare; Finitâ Antiphonâ, dicitur à pueris Chori ℣. & à celebrante Oratio cuilibet Antiphonæ propria, ut infrà.*

## IN ADVENTU.

*Poſt Antiph.* Alma, *&c. ut habetur ſuprà. p. 8.*

℣. Deus in médio ejus:
℟. Non commovébitur.

Orémus.

GRátiam tuam, quæſumus, Dómine, méntibus noſtris infunde; ut qui, Angelo nuntiante, Chriſti Fílii tui incarnatiónem cognóvimus, per paſſiónem ejus & crucem ad reſurrectiónis glóriam perducámur; Per eumdem Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*A Completor. Vigil. Natalis Domini ad Præſentat. ejuſd. incluſivè.*

℣. Véritas de terra orta eſt,
℟. Et juſtítia de cœlo proſpéxit.

Orémus.

DEus, qui ſalútis æternæ, beátæ Maríæ virginitáte fœcunda, humáno géneri præmia præſtitiſti: tríbue, quæſumus, ut ipſam pro nobis intercédere ſentiámus, per quam meruímus auctórem vitæ ſuſcípere Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum. ℟. Amen.

*Poſt Antiphonam* Ave, *&c. ut ſuprà. pag. 9.*

℣. Elégit eam Dóminus,
℟. In habitatiónem ſibi.

Orémus.

COncéde, miſéricors Deus, fragilitáti noſtræ præsídium; ut qui ſanctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus, interceſſiónis ejus auxílio à noſtris iniquitátibus reſurgámus; Per eumdem Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Poſt Antiph.* Regína cœli, *&c. ut ſuprà. pag. 10.*

℣. Circumdediſti me lætítiâ, Dómine;

℟. Ut cantet tibi glória mea.

Orémus.

DEus, qui per Reſurrectiónem Fílii tui Dómini noſtri Jeſu Chriſti mundum lætificáre dignátus es: præſta, quæſumus, ut per ejus Genitrícem Vírginem Maríam, perpétuæ capiámus gáudia vitæ; Per eumdem Chriſtum Dôminum noſtrum. ℟. Amen.

*Poſt Antiph.* Salve, *&c. ut ſuprà. pag. 11.*

℣. Vultum tuum deprecabuntur,

℟. Omnes dívites plebis.

Orémus.

OMnípotens, ſempiterne Deus, qui glorióſæ vírginis matris Maríæ corpus & ánimam, ut dignum Fílii tui habitáculum éffici mererétur, Spíritu Sancto cooperante, præparaſti: da ut cujus commemoratióne lætámur, ejus piâ interceſſióne, ab inſtántibus malis, & à morte perpétua liberémur; Per eumdem Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Poſt orationem revertuntur omnes bini & bini ad Chorum in ſilentio, & dicitur Completorium.*

## DIEBUS 26 DECEMB. ET 3 AUGUST.

*IN diebus Feſtis Natalitiorum & Inventionis S. Stephani, Protomart. & Eccleſiæ Patroni, ſit eadem ſtatio poſt Veſperas; ſed Clerus conſiſtit non in navi, ſed in Sanctuario & Sacriſtia, remanent verò Bordonerii genuflexi ad cancellos; Crucifero ad infimum gradum ſanctuarii in plano ſtante; & incenſato SS. Sacramento quod à matutinis horis expoſitum eſt, dicitur à pueris Chori, ſcilicèt in Natalitiis* ℣. Véritas, *&c. & à celebrante Oratio*, Deus, qui ſalútis, *&c. & in Inventionis Feſto* ℣. Vultum tuum, *&c. & Oratio* Omnípotens, *ut ſuprà.*

*Deindè cantatur Cantic. muſic. quo finito dicuntur* ℣℣. *& Orationes ſequentes, & datur benedictio more ſolito.*

℣. Fílii tui ſicut novellæ olivárum,
℟. In circúitu menſæ tuæ.

*In Natalitiis S. Stephani.*

℣. Poſuérunt adversùm me mala pro bonis,
℟. Et ódium pro dilectióne mea.

*In Feſto Inventionis.*

℣. Cor meum & caro mea,
℟. Exultavérunt in Deum vivum.
3. *Verſus ad libitum celebrantis.*
℣. Dóminus vobiſcum, ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DEus, qui nobis ſub Sacramento mirábili paſſiónis tuæ memóriam reliquiſti; tríbue, quæſumus, ita nos córporis & ſánguinis tui ſacra myſtéria venerári, ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter ſentiámus.

*In Natalitiis*, Oratio.

DA nobis, quæſumus, Dómine, imitári quod cólimus, ut diſcámus & inimícos dilígere; quia ejus Natalítia celebrámus, qui novit étiam pro perſecutóribus Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum.

*In Feſto Inventionis*, Oratio.

OMnípotens ſempiterne Deus, qui ſacrum beatíſſimi Proto-Mártyris Stéphani corpus fidélibus tuis reveláre dignátus es; concéde, ejus interceſſiónis auxílio, nos ab inſtántibus tribulatiónibus liberári, & æternis conſolatiónibus adimpléri.

*Tertia Oratio, ad libitum celebrantis.*

*Poſt benedictionem revertitur Clerus ad Chorum in ſilentio, & dicitur Completorium.*

*Omittuntur ſtationes prædictæ ſingulis anni Sabbatis, propter benedictionem SS. Sacramenti, quæ poſt Completor. datur in Capella B. Mariæ, quæ, ſi propter caſum aliquem non datur, tunc non omittitur ſtatio, niſi cantentur Litaniæ B. M. in Choro. Omittitur quâlibet Dom. tertiâ cujuſque menſis, & ſingulis diebus quibus poſt Completorium cantantur vigiliæ pro Defunctis, aut fieri debent exequiæ, aliave proceſſio. Omittuntur etiam per totam Quadrageſimam, Dominicis exceptis; item quotiès DD. Archiepiſc. adeſt Veſperis. Deniquè omittuntur ſingulis diebus infrà Octavam Corporis Chriſti, & diebus quibus fiunt præces publicæ cum expoſitione SS. Sacramenti, & quotieſcumque poſt Completorium dicitur Matutinum Offic. pro craſtina die.*

# CAPUT X.

# PROCESSIONES CUM SS. SACRAMENTO QUALIBET DOMINICA III. *CUJUSQUE MENSIS.*

QUALIBET *Dominicâ tertiâ cujuſque menſis fit proceſſio in Eccleſia Toloſana cum SS. Sacramento per circuitum Chori & datur benedictio poſt Completorium; itaque facto poſt Completorium ſuffragio pro Defunctis, Celebrans cum miniſtris quatuorque confratribus confraternitatis SS. Sacramenti, accenſa intortitia geſtantibus, procedit è Sacriſtia ad Chorum, Virgariis & Thuriferariis præcedentibus Crucem, & pergit cum ceteris de Clero, cantantibus Organis, ad Altare Parochiæ ubi expoſitum eſt SS. Sacramentum, & omnes genuflexi conſiſtunt, remanentibus in plano extra Sanctuarium Cantoribus cum muſicis, pueris Chori & Cruce cum Virgariis.*

*Cùm ceſſaverint Organa, imponitur ſtrophes* ô Salutáris, *&c. ut infrà quem Chorus proſequitur cum muſicis; interìm incenſatur SS. Sacramentum & deponitur ſuper Altare. Finitâ ſtrophe iterum pulſantur Organa, ſurgunt omnes, incipit proceſſio & Cantores imponunt Hymnum* Pange lingua, *&c. ut infrà, quæ in decurſu*

*Clerus*

*Clerus & muſici decantant alternis vicibus cum Organis.*




Qui carne nos paſcis tuâ,
Sit laus tibi, Paſtor bone,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In ſempiterna ſécula. Amen.

*Cum ceſſaverint Organa imponitur ſequens*

*Hymnus, de 3.*






Nobis datus, nobis natus
Ex intacta vírgine;
Et in mundo converſátus,
Sparſo verbi ſémine,
Sui moras incolátûs
Miro clauſit órdine.
In ſuprémæ nocte cœnæ
Recumbens cum frátribus,
Obſervátâ lege plenè
Cibis in legálibus,
Cibum turbæ duodénæ
Se dat ſuis mánibus.
Verbum caro, panem verum
Verbo carnem éfficit:
Fitque ſanguis Chriſti merum;
Et ſi ſenſus déficit,
Ad firmandum cor ſincérum
Sola fides ſúfficit.
Tantum ergò Sacramentum
Venerémur cérnui;
Et antíquum documentum
Novo cedat rítui:
Præſtet fides ſupplementum
Sénſuum deféctui.
Genitóri, Genitóque
Laus & jubilátio,
Salus, honor, virtus quoque,
Sit & benedíctio:
Procedenti ab utróque
Compar ſit laudátio. Amen.

*Ubì proceſſio rediit ad Altare Parochiæ, repoſito ſuper illud Sacratiſſimo Sacramento, fini-*

*toque Hymno, cantatur Canticum à muſicis; deindè dicuntur* ℣℣℣. *& Orationes ſequentes.*

℣. Fílii tui ſicut novellæ olivárum,

℟. In circúitu menſæ tuæ.

℣. Ora pro nobis ſancta Dei génitrix;

℟. Ut digni efficiámur promiſſiónibus Chriſti.

3. ℣. *Ad libitum celebrantis, ut infrà.*

℣. Dóminus vobiſcum, ℟. Et cum Spíritu tuo.

Orémus.

DEus, qui nobis ſub Sacramento mirábili paſſiónis tuæ memóriam reliquiſti: tríbue quæſumus, ita nos córporis & ſánguinis tui ſacra myſtéria venerári, ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter ſentiámus.

COncéde nos fámulos tuos, quæſumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis & córporis ſanitáte gaudére, & glorióſâ B. Maríæ ſemper Vírginis interceſſióne, à præſenti liberári triſtítiâ, & æternâ perfrui lætítiâ.

3. *Oratio ad libitum celebr.*

*Verſus & Oratio de B. Maria ſemper dicuntur ſecundo loco, ſed mutantur ratione temporis, aut feſti occurrentis, ut infrà notatur.*

*Dominicâ tertiâ Decembris.*

℣. Elégit eam Dóminus,

℟. In habitatiónem ſibi.

*Oratio.*

DEus, qui de Beátæ Maríæ Vírginis útero verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem ſuſcípere voluiſti, præſta ſupplícibus tuis, ut, qui verè eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te interceſſiónibus adjuvémur.

*Dominicâ tertiâ Januarii.*

℣. Benedixiſti, Dómine, terram tuam;

℟. Avertiſti captivitátem Jacob.

*Oratio.*

DEus, qui ſalútis æternæ, beátæ Maríæ Virginitáte fœcundâ humáno géneri præmia præſtitiſti: tríbue, quæſumus, ut ipſam pro nobis intercédere ſentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ ſuſcípere Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum.

*Poſt Præſentationem Domini uſquè ad Dominicam Paſſionis.*

℣. Elégit eam Dóminus,
℟. In habitatiónem ſibi.

*Oratio.*

COncéde, miſéricors Deus, fragilitáti noſtræ præſídium, ut qui ſanctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus, interceſſiónis ejus auxílio à noſtris iniquitátibus reſurgámus.

*Tempore Paſſionis.*

℣. Dùm turbábitur terra,
℟. Deus in médio ejus non commovébitur.

*Oratio.*

FAc nos, quæſumus, Dómine, tuis ſemper dignos eſſe munéribus, intercedente beatâ Vírgine Genitríce tuâ, quam móriens in Cruce nobis matrem providiſti.

*Tempore Paſchali.*

℣. Circumdediſti me lætítiâ, Dómine;
℟. Ut cantet tibi glória mea.

*Oratio.*

DEus, qui per Reſurrectiónem Fílii tui Dómini noſtri Jeſu Chriſti mundum lætificáre dignátus es: præſta, quæſumus, ut per ejus Genitrícem Vírginem Maríam, perpétuæ capiámus gáudia vitæ.

*Si Dominica tertia Auguſti occurrat intrà Octavam Aſſumptionis.*

℣. Poſuiſti, Dómine, in cápite ejus corónam,
℟. De lápide pretióſo.

*Oratio.*

VEneranda nobis, Dómine, hujus diéi feſtívitas opem cónferat ſalutárem, in qua ſancta Dei Génitrix mortem ſúbiit temporálem, nec tamen mortis néxibus déprimi pótuit, quæ Fílium ſuum Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum de ſe génuit incarnátum.

*Si Dominica tertia Septembris occurrat die octavâ Nativitatis B. Mariæ,*

℣. Sanctificávit tabernáculum ſuum Altíſſimus:
℟. Deus in médio ejus.

*Oratio.*

DEus, qui ſecundùm propóſitum voluntátis tuæ mundum tibi reconciliáre voluiſti: præſta, quæſumus, ut qui Nativitátis Beátæ Maríæ, de qua natus eſt nobis Chriſtus Salvátor, cum gáudio celebrámus, ipſam quam Fílius operátus eſt ſalútem, Matris interceſſióne conſequámur.

*Si Dominica tertia Novembris occurrat die 21 in Præſentatione B. Mariæ,*

℣. Dóminus abſcondit me in tabernáculo ſuo:
℟. Protéxit me in abſcóndito tabernáculi ſui.

*Oratio.*

DEus, qui beátam Maríam ſemper vírginem, Spíritûs ſancti habitáculum, in Templo præſentári voluiſti: præſta, quæſumus, ut ejus interceſſióne in templo glóriæ tuæ præſentári mereámur.

*Dominicis Paschæ et Pentecostes advenientibus in Dominica tertia mensis.*

*Si Dominicæ Paſchæ & Pentecoſtes adven-*

*rint in Dominica tertia menſis, poſt Veſperas, dicto ultimo* Benedicámus, *imponitur à ſex Bordoneriis Antiphona B. Mariæ,* Regína cœli, &c., *eamque decantando itur proceſſionaliter è Choro ad Altare Parochiæ, ut fit in Dominica tertia cujuſque menſis. Sex Bordonerii ad cancellos Sanctuarii manent genuflexi; & incenſato SS. Sacramento, finitâque Antiphonâ, cantatur à Pueris Chori* ℣. Circumdediſti, &c., *& à Celebrante, Oratio* Deus, qui per reſurrectiónem, &c., *ut ſuprà, pag. 148, & non dicitur* O ſalutáris, *ut fieri ſolet. Sed poſt orationem pulſantur Organa, & cùm ceſſaverint, imponitur Hymnus* Pange lingua, &c., *ut ſuprà, pag. 145, & tunc incipit proceſſio, & fit, ſecundùm conſuetudinem, per circuitum Chori. Ante Benedictionem, cantatur Canticum à Muſicis, quo finito, dicuntur* ℣℣. *& Orationes ſequentes.*

℣. Fílii tui ſicut novellæ olivárum,

℟. In circúitu menſæ tuæ.

℣. Poſuérunt adversùm me mala pro bonis,

℟. Et ódium pro dilectióne mea.

3. ℣. *ad libitum.*

℣. Dóminus vobiſcum, ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DEus, qui nobis ſub ſacramento mirábili, paſſiónis tuæ memóriam reliquiſti; tríbue, quæſumus, ita nos córporis & ſánguinis tui ſacra myſtéria venerári, ut Redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter ſentiámus.

OMnípotens ſempiterne Deus, qui primítias Mártyrum in beáti Levítæ Stéphani ſánguine dedicaſti: tríbue, quæſumus, ut pro nobis interceſſor exiſtat, qui pro ſuis étiam perſecutóribus exorávit Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum.

3. *Oratio adlibitum.*

*Hanc ſervatam fuiſſe aliquandò Rubricam & à Venerabili Capitulo approbatam teſtes ſumus, hancque ſervari convenit plurimùm propter ſolemnitatem dierum, & divini cultûs majorem celebritatem. Si verò minùs arrideat hæc Rubrica, fiat ut quâlibet Dominicâ tertiâ cujuſque menſis fieri ſolet.*

*Sivè in Dominicą tertia cujuſque menſis, ſivè per Oct. Corpois Chriſti, vel temp. Jubilæi, aut Orationis 40 Horarum, ſemper datâ Benedictione, pergunt omnes Canonici, præcedente Cruce, ad Sacriſtiam Chori, ubì omnes uno eodemque ordine, ab Altari Sacriſtiæ, ſcilicèt ad ferè ipſius ingreſſum diſpoſiti, Celebrantem conſalutant ad dictum Altare accedentem, eique coram ipſis procedenti ſe inclinantes benè precantur, quod his verbis, AD MULTOS ANNOS, aut ſimilibus vulgò exprimitur.*

*Si, poſt datam Benedictionem, dicendum ſit Completorium aut Matutinum pro craſtina die, ad Sacriſtiam pergit ſolus Celebrans cum Miniſtris.*

# CAPUT XI.

## DE PROCESSIONIBUS,

### *SIVE POMERIDIANIS SIVE SEROTINIS,*

### INTRA OCT. CORP. CHRISTI

### *FIERI SOLITIS.*

*IN Feſto Corporis Chriſti immediatè poſt Completorium, fit Proceſſio SS. Sacramenti, & ſervantur omnia quæ notavimus ſuprà, p. 144, excepto quòd peracto circuitu Chori, Proceſſio Chorum ingreditur, & Cruce ſtante ad Orationale, aſcendunt omnes de Clero ad Sanctuarium, ibìque manent genuflexi; poſteà repoſito ſuper Altare SS. Sacramento, cantatur Canticum à Muſicis, quo finito, dicitur unus ℣. & una Oratio.*

℣. Fílii tui ſicut novellæ olivárum,
℟. In circúitu menſæ tuæ.
℣. Dóminus vobiſcum,
℟. Et cum Spíritu tuo.

Orémus.

DEus, qui nobis ſub Sacramento mirábili paſſiónis tuæ memóriam reliquiſti, tríbue, quæſumus, ita nos Córporis & Sánguinis tui ſacra myſtéria venerári, ut Redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter ſentiámus; Qui vivis & regnas in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

*Finitâ Oratione, datur Benedictio SS. Sacramenti, poſteà reconditur in Tabernac. Capellæ S. Auguſtini, ubì aſſervantur Reliquiæ S. Stephani.*

# FERIA SEXTA

## Infra Octavam Corporis Chriſti.

*Horâ ſeſqui primâ pomerid. conveniunt omnes ad Sacriſt., datoque ſigno à D. Cantore Majori, pergitur ad Chorum; ſed præcedit Crux, ſequitur Clerus, & poſtremò Celebrans ante & poſt ſe habens duos Confratres Confraternitatis SS. Sacramenti faces accenſas geſtantes; qui verò defert Crucem ſiſtit ſe ad Orationale, & ibì ſtat verſus ad Altare; omnes verò alii ad Sanctuarium aſcendunt, ibìque manent genuflexi, donec procedatur ad Altare Parochiæ.*

*Ubì primùm apparet Crux in Choro, pulſantur Organa, donec Celebrans ſumpſerit SS. Sacramentum, & Cappellâ Reliquiarum exierit, veneritque ad medium Sanctuarii, fueritque ſub Baldachino quod ſemper in his Proceſſionibus à quatuor Canonicis defertur: tunc imponitur Strophes* O Salutáris, &c., *ut ſuprà, pag. 145, quæ à Clero unà cum Muſicis décantatur procedendo ad Altare Parochiæ, ubì fit ſtatio cunctis genuflexis & diſpoſitis intrà vel extra Sanctuarium, ut in Dominica tertia cujuſque menſis.*

*Ibì cantatur à Muſicis* Tantum ergò, &c., *& poſteà dicitur à Pueris Chori* ℣. Fílii tui, &c., *& à Celebrante Oratio* Deus, qui nobis ſub Sacramento, &c., *ſuprà, pag. 152.*

*Poſt Orationem pulſantur Organa, & cùm ceſſaverint, imponitur à Cantoribus Hymnus* Pange lingua, &c., *ut ſuprà pag. 145, & fit Proceſſio omninò ut herì poſt Completorium, & revertitur in Chorum, ubì cantato Cantico à Muſicis, dicuntur* ℣℣. *& Orationes ſequentes.*

℣. Edent páuperes, & laudabunt Dóminum:
℟. Vivent corda eórum in ſéculum ſéculi.
℣. Ora pro nobis, ſancta Dei Génitrix.
℟. Ut digni efficiámur promiſſiónibus Chriſti.
3. ℣. *ad libitum Celebrantis.*
℣. Dóminus vobiſcum,
℟. Et cum Spíritu tuo.

Orémus.

FAc nos, quæſumus, Dómine, divinitátis tuæ ſempiternâ fruitióne repléri, quam pretióſi Córporis & Sánguinis tui temporális perceptio præfigurat.

COncéde nos fámulos tuos, quæſumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis & córporis ſanitáte gaudére, & glorióſâ beátæ Maríæ ſemper Vírginis interceſſióne, à præſenti liberári triſtítiâ & æternâ perfrui lætítiâ.

*Tertia Oratio ad libitum, ut infrà*

*Datâ Benedictione, reconditur, ut herì SS. Sacramentum: poſteà habetur concio, quâ finitâ, dicuntur Veſperæ.*

*Horâ ſéptimâ ſerotinâ ejuſdem diei, fit Proceſſio eodem modo, & datur Benedictio per totam Octavam, quibuſdam diebus exceptis, ut infrà notatur.*

## SABBATO INTRA OCTAVAM

### Ad Benedictionem Serotinam.

*In Benedictione & Proceſſione pomeridiana omnia fiunt ut ſuprà Fer. ſexta, pag. 153.*

*Ad Benedictionem ſerotinam, Repoſito ſuper Altate Parochiæ SS. Sacramento, immediatè dicitur à pueris Chori* ℣. & Oratio *ſequens; omit-*

*titur autem hodiè* Tantum ergò , *&c. non cantatur enim à muſicis , ut de more.*

℣. Fílii tui ſicut novellæ olivárum,

℞. In circúitu menſæ tuæ.

*Celebrans dicit :*

℣. Dóminus vobiſcum ,

℞. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DEus , qui nobis ſub Sacramento mirábili paſſiónis tuæ memóriam reliquiſti ; tríbue, quæſumus , ita nos córporis & ſánguinis tui ſacra myſtéria venerári , ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter ſentiámus.

*Poſt orationem imponitur Hymnus* Ave maris, *&c. ut infrà qui cantatur ibidem à muſicis , vel deficiente muſica , ab utroque Choro alternis cum Organis ; & poſt Hymnum dicitur* ℣. *& Oratio ut infrà poſt Hymnum.*

*Hymnus , de 1.*




Sumens illud Ave
Gabriélis ore ,
Funda nos in pace ,
Mutans Ævæ nomen.

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala noſtra pelle,
Bona cuncta poſce.
Monſtra te eſſe matrem;
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit eſſe tuus.
Virgo ſinguláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis ſolútos,
Mites fac & caſtos.
Vitam præſta puram;
Iter para tutum,
Ut videntes Jeſum,
Semper collætémur.
Sit laus tibi, Chriſte,
Cujus Virgo parens:
Laus par ſit & Patri,
Sit par tibi, Flamen. Amen.

℣. Deus operátus eſt ſalútem:
℟. Tu confregiſti cápita dracónis.
*Celeb.* ℣. Dóminus vobiſcum,
℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

COncéde nos fámulos tuos, quæſumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis & Córporis ſanitáte gaudére, & glorióſâ Beátæ Maríæ ſemper Vírginis interceſſióne, à præſenti liberári triſtítia & æternâ pérfrui lætítiâ; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Poſt orationem pulſantur Organa, deindè imponitur Hymnus* Pange lingua, *&c. ut habetur ſuprà p. 145, & fit Proceſſio de more. Cantatur ante Benedictionem Canticum à muſicis vulgò*

*vulgò in honorem B. M. Virginis, quo finito dicuntur Verſus & Orationes ſequentes.*

℣. Edent páuperes, & laudábunt Dóminum;
℟. Vident corda eórum in ſéculum ſéculi.
℣. Poſuérunt adversùm me mala pro bonis,
℟. Et ódium pro dilectióne mea.
℣. Salvos fac ſervos tuos,
℟. Deus meus ſperantes in te.
*Celebr.* ℣. Dóminus vobiſcum,
℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

FAc nos, quæſumus, Dómine, divinitátis tuæ ſempiternâ fruitióne repléri, quam pretióſi Córporis & Sánguinis tui temporális percéptio præfigúrat.

OMnípotens ſempiterne Deus, qui primítias Mártyrum in Beáti Levítæ Stéphani ſánguine dedicaſti: tríbue, quæſumus, ut pro nobis interceſſor exiſtat, qui pro ſuis étiam perſecutóribus exorávit Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum.

OMnípotens ſempiterne Deus, ſalus æterna credéntium: exaudi nos pro fámulis & famulábus tuis infirmis, pro quibus miſericórdiæ tuæ implorámus auxílium; ut, rédditâ ſibi ſanitáte, gratiárum tibi in Eccléſia tua réferant actiónes; Per Chriſtum Dóminum noſtrum.
℟. Amen.

## DOMINICA INTRA OCTAVAM.

*Hodiè concio habetur intra Miſſæ Parochiæ ſolemnia, ideoque pomeridiana Proceſſio fit tantùm horâ ſeſquiſecundâ.*

*Ante utramque benedictionem dicitur hodiè*

*unicus* ℣. *ſcilicèt*, Edent páuperes, *&c. & Orat.* Fac nos, quæſumus, *&c. ut ſuprà, p. 157.*

# OCTAVA

## CORPORIS CHRISTI.

*Ad Benedictionem pomeridianam ducitur proceſſio per circuitum Chori, omiſsâ ſtatione ad Altare Parochiæ ubì hodiè datur Benedictio utraque, & exponitur SS. Sacramentum, poſt Benedictionem, uſque ad proceſſionem ſerotinam. Ante utramque Benedictionem, cantato Cantico à muſicis, dicitur unus verſus & una dumtaxat Oratio, nempe* ℣. Fílii tui, *&c. & Oratio*, Deus, qui nobis, *&c. ut ſuprà in die Feſto p. 155.*

*Veſperè ejuſdem diei, horâ ſeſqui-ſextâ veniunt omnes in Sacriſtiam undè, dato ſigno à D. Cantore majori, & cantantibus Organis, procedunt, Cruce præcedente, à latere dextro Chori, Clerus, ſex Bordonerii cappis induti, & Celebrans cum Diacono & Subdiacono aliiſque Miniſtris neceſſariis, ſive ſit DD. Archiepiſcopus, ſive D. Præpoſitus, ſive alius, & per Chorum à latere Epiſtolæ pergunt ad Navim Eccleſiæ in qua ordinatur Clerus, Cruce ſtante propè fontem aquæ luſtralis, Bordoneriis ad cancellos Sanctuarii genuflexis, & Celebrante ad Altare Parochiæ cum Miniſtris. Ibidem incenſatur & deponitur SS. Sacramentum omnibus genuflexis. Cùm ceſſaverint Organa imponitur à Bordoneriis ſtrophes* O Salutáris, *&c. ut ſuprà pag. 145, quâ finitâ pulſantur Organa; ſurguntomnes, & incipit proceſſio quæ fit per circuitum plateæ S. Stephani, vel clauſtri ejuſdem Eccleſiæ, ſi propter intemperiem aëris ad extra fieri non deceat. In*

*ea cantatur primò* Pange lingua *, &c. ut ſuprà p. 145, deindè ſi neceſſe ſit,* Sacris Solemniis*, &c. ut habetur infrà parte ſecunda in Feſto Corporis Chriſti. Ad reditum proceſſionis omnes ad Sanctuarium aſcendunt, ibique vel in Sacriſtia, ſtante crucifero à latere Epiſtolæ, manent genuflexi uſque poſt cantatum canticum à muſicis, & datam Benedictionem.*

# CAPUT XII.

## VERSUS ET ORATIONES AD DIVERSA.

*Hæ Orationes dicuntur ad libitum celebrantis & ſemper tertio loco, in Benedictionibus intrà Octavam Corporis Chriſti, & in Dominica tertia cujuſque menſis.*

*Contrà perſecutores Eccleſiæ.*

℣. Ut Eccléſiam tuam ſanctam régere, & conſerváre dignéris.

℟. Te rogámus, audi nos.

*Oratio.*

ECcléſiæ tuæ, quæſumus, Dómine, preces placátus admitte; ut deſtructis adverſitátibus, & erróribus univerſis, ſecúrâ tibi ſérviat libertáte; Per Chriſtum Dóminum noſtrum.

℟. Amen.

*Alia Oratio.*

DOmine, Deus, virtútum, qui tuam Eccléſiam reddis ſemper invictam; perſecutórum ejus déxteræ tuæ poténtiâ compeſce ſupérbiam; ut, confuſióne ſalutári, per tuam miſericórdiam reſipiſcant, & ad veritátis tuæ lumen óculos apériant; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Pro omni gradu Eccleſiæ.*

℣. Ut Domnum Apoſtolícum, & omnes Eccleſiáſticos órdines in ſancta religióne conſerváre dignéris.

℟. Te rogámus, audi nos.

*Oratio.*

OMnípotens ſempiterne Deus, cujus ſpíritu totum Corpus Eccléſiæ ſanctificátur & régitur; exaudi nos pro univerſis ordínibus ſupplicantes; ut grátiæ tuæ múnere, ab ómnibus tibi grádibus fidéliter ſerviátur; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Pro Papa.*

℣. Ut fámulum tuum *N.* conſerváre dignéris.

℟. Te rogámus, audi nos.

*Oratio.*

DEus ómnium fidélium paſtor & rector, fámulum tuum *N.* quem Paſtórem Eccléſiæ tuæ præeſſe vóluiſti, propítius réſpice: da ei, quæſumus; verbo & exemplo, quibus præeſt, profícere; ut ad vitam, unà cum grege ſibi crédito, pervéniat ſempiternam; Per Chriſtum Dóminum noſtrum.

*Pro Archiepiſcopo.*

℣. Ut fámulum tuum *N.* conſerváre dignéris.

℟. Te rogámus, audi nos.

*Oratio.*

DEus, qui fámuli tui *N.* húmeris onus impoſuiſti ipſis Angélicis Spirítibus formidandum: da ei, quæſumus, ſapiéntiam & fortitúdinem, ut pondus illud, ad conſummatiónem Sanctórum, in ædificatiónem Córporis Chriſti váleat, te adjuvante, ſuſtinére; Per eumdem Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Pro Rege.*

℣. Dómine ſalvum fac Regem noſtrum *N.*

℟. Et exaudi nos in die quâ invocavérimus te.

*Oratio.*

QUæſumus, omnípotens Deus, ut fámulus tuus *N.* Rex noſter, qui tuâ miſeratióne ſuſcépit regni gubernácula, virtútum étiam

ómnium percípiat incrementa: quibus decenter ornátus, & vitiórum monſtra devitáre, hoſtes ſuperáre, & ad te, qui via, véritas & vita es, gratióſus váleat perveníre; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Pro Regina.*

℣. Ut fámulam tuam *N.* Regínam noſtram conſerváre dignéris.

℟. Te rogámus, audi nos.

*Oratio.*

DEus, cujus donum eſt múlier fortis & ſápiens; fámulam tuam *N.* Regínam noſtram conſerva longævam annis, prole felícem præſta; atque grátiâ tuâ fac illam tibi ſemper placére, ſubditórum ſuórum matrem, & Eccléſiæ fíliam fide ac pietáte primogénitam; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Pro Regina gravida.*

℣. Ut fámulam tuam *N. &c. ut ſuprà.*

℟. Te rogámus, *&c.*

*Oratio.*

DOmine Deus terríbilis atque miſéricors, qui vivíficans atque mortíficans, miſiſti iram tuam, & devorávit Príncipes noſtros; nunc antíquæ memor abundántiæ, Regínam noſtram *N.* fœcundáre dignátus es, magnífica poténtiam tuam, ejuſque fœtum ad hanc lucem ac ſanctam regeneratiónem ſervando, Regále Semen multíplica, totiuſque regni laborantem ſpem firma; Per Chriſtum Dóminum noſtrum.
℟. Amen.

*Pro Congregatione & Familia.*

℣. Memento Congregatiónis tuæ,

℟. Quam poſſediſti ab inítio.

*Oratio.*

DEffende, quæſumus, Dómine, Beátâ Maríâ ſemper Vírgine intercedente, iſtam ab omni adverſitáte famíliam, & toto corde tibi proſtrátam, ab hóſtium propítius tuére clementer insídiis.

*Hæc Oratio dici debet ſecundo loco, & tunc aſſumitur alia pro 3. Oratione.*

*Pro Concordia in Congregatione ſervanda.*

℣. Fiat pax in virtúte tua,

℟. Et abundántia in túrribus tuis.

*Oratio.*

DEus largítor pacis, & amátor caritátis: da fámulis tuis veram cum tua voluntáte concórdiam; ut ab omnibus quæ nos pulſant, tentatiónibus liberémur; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Contra Perſécutores, & malè agentes.*

℣. *Eſto nobis, Dómine, turris fortitúdinis.*

℟. *A fácie inimíci.*

*Oratio.*

HOſtium noſtrórum, quæſumus, Dómine, elíde ſupérbiam; & eórum contumáciam déxteræ tuæ virtúte proſterne; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Ad repellendas tempeſtates.*

℣. Ut fructus terræ, dare & conſerváre dignéris.

℟. Te rogámus, audi nos.

*Oratio.*

A Domo tua, quæſumus, Dómine, ſpiritáles nequítiæ repellantur, & aëreárum diſcédat malígnitas tempeſtátum; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Pro fructibus terræ.*

℣. Ut fructus, *&c. ſuprà.*

℟. Te rogámus, *&c.*

*Oratio.*

LArgíri & conſerváre fructus terræ dignáre, Dómine Deus noſter, ut temporálibus gaudeámus auxíliis, & proficiámus ſpirituálibus increméntis; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Ad petendam pluviam.*

℣. Operi, Dómine, cœlum núbibus,

℟. Et para terræ plúviam.

*Oratio.*

DEus, in quo vívimus, movémur, & ſumus; plúviam nobis tríbue congruentem; ut præſéntibus ſubsídiis ſufficienter adjúti, ſempiterna fiduciáliùs appetámus; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Ad poſtulandam Serenitatem.*

℣. Ut congruentem aëris ſerenitátem nobis concédere dignéris.

℟. Te rogámus, audi nos.

*Oratio.*

AD te nos, Dómine, clamantes exaudi, & aëris ſerenitátem nobis tríbue ſupplicántibus; ut qui juſtè pro peccátis noſtris affligimur, miſericórdiâ tuâ præveniente, cleméntiam ſentiámus; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Pro vitanda Mortalitate.*

℣. Averte, Deus, iram tuam à nobis:

℟. Deus, tu converſus vivificábis nos.

*Oratio.*

DEus, qui non mortem, ſed pœniténtiam desíderas; pópulum tuum ad te reverentem propítius réſpice, & iracúndiæ tuæ flagella

ab eo clementer averte; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Tempore Famis.*

℣. Eſurientes & ſitientes, ánima eórum in ipſis defécit.

℟. Clamavérunt ad Dóminum; & de neceſſitátibus eórum erípuit eos.

*Oratio.*

DEus, qui fámulos tuos ídeò corporáliter vérberas, ut mente profíciant; da nobis peccáta, pro quibus fame afflígimur, pœniténtiæ lácrymis ablúere: ut qui iracúndiam tuam rebelles provocávimus, miſeratiónem ſúbditi & húmiles ſentiámus; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Pro Pace obtinenda.*

℣. Fiat pax in virtúte tua,

℟. Et abundántia in túrribus tuis.

*Oratio.*

DEus, à quo ſancta deſidéria, recta consília, & juſta ſunt ópera: da ſervis illam, quam mundus dare non poteſt pacem: ut & corda noſtra mandátis tuis dédita, & hóſtium ſublatâ formídine, témpora ſint tuâ protectióne tranquilla; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Pro Infirmis.*

℣. Salvos fac ſervos tuos;

℟. Deus meus ſperantes in te.

*Oratio.*

OMnípotens ſempiterne Deus, ſalus æterna credéntium: exaudi nos pro fámulis & famulábus tuis infirmis, pro quibus miſericórdiæ tuæ implorámus auxílium; ut rédditâ ſibi ſanitáte, gratiárum tibi in Eccléſia tua réferant ac-

tiónes; Per Chriſtum Dóminum noſtrum.
℟. Amen.

*Pro Remiſſione peccatorum.*

℣. Dómine, non ſecundùm peccáta noſtra fácias nobis;

℟. Neque ſecundùm iniquitátes noſtras retríbuas nobis.

*Oratio.*

DEus, qui nullum réſpuis, ſed quantumvìs peccántibus, per pœnitentiam piâ miſeratióne placáris: réſpice propítius ad preces humilitátis noſtræ, & illúmina corda noſtra: ut tua valeámus implére præcepta; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Alia Oratio pro remiſſione peccatorum.*

℣. Oſtende nobis, Dómine, miſericórdiam tuam,

℟. Et ſalutáre tuum da nobis.

*Oratio.*

DEus, qui culpâ offénderis, pœniténtiâ placáris; preces pópuli tui ſupplicantis propítius réſpice, & flagella tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis noſtris merémur, averte; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Pro ſalute Vivorum.*

℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine,

℟. Et benedic hæreditáti tuæ.

*Oratio.*

PRætende, Dómine, fidélibus tuis déxteram cœleſtis auxílii; ut te toto corde perquírant, & quæ dignè póſtulant, conſéqui mereantur; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Tempore Famis & Peſtis.*

℣. Fiat miſericórdia tua ſuper nos,

℟. Quemàdmodùm ſperávimus in te.

*Oratio.*

DA nobis, quæſumus, Dómine, piæ ſupplicatiónis effectum: & peſtiléntiam, famemque propitiátus averte; ut mortálium corda cognoſcant, & te indignante tália flagella prodíre, & te miſerante ceſſáre; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Tempore Belli.*

℣. Arcum cóntere, & confringe arma;
℟. Et ſcuta combúre igni.

*Oratio.*

DEus, qui cónteris bella, & impugnatores in te ſperántium poténtiâ tuæ defenſiónis expugnas: auxiliáre fámulis tuis implorántibus miſericórdiam tuam; ut inimicórum ſuórum feritáte depreſsâ, inceſsábili te gratiárum actióne laudémus. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Tempore Peſtis Animalium.*

℣. Exaudi nos, Deus ſalutáris noſter,
℟. Spes ómnium fínium terræ, & in mari longè.

*Oratio.*

DEus, qui labóribus hóminum, étiam de brutis animálibus ſolátia ſubrogaſti: ſúpplices te rogámus, ut ſine quibus non álitur humána condítio, noſtris fácias úſibus non períre; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Pro quacúmque Tribulatione.*

℣. Deus, refúgium noſtrum & virtus;
℟. *Adjútor in tribulatiónibus.*

*Oratio.*

NE deſpícias, omnípotens Deus, pópulum tuum in afflictióne clamantem; ſed propter glóriam nóminis tui tribulátis ſuccurre pla-

cátus; Per Chriſtum Dóminum noſtrum.

℟. Amen.

*Pro quacumque Neceſſitate.*

℣. Adjuva nos, Deus ſalutáris noſter;

℟. Et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos.

*Oratio.*

DEus, refúgium noſtrum & virtus, adeſto piis Eccléſiæ tuæ précibus auctor ipſe pietátis, & præſta; ut quod fidéliter pétimus, efficáciter conſequámur; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Contra Paganos.*

℣. Effunde iram tuam in gentes quæ te non novérunt,

℟. Et in regna quæ nomen tuum non invocavérunt.

*Oratio.*

OMnípotens ſempiterne Deus, in cujus manu ſunt ómnium poteſtátes, & ómnium jura regnórum, réſpice in auxílium Chriſtianórum, ut gentes quæ in ſua feritáte confidunt, déxteræ tuæ potentiâ comprimantur; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

CAPUT

# CAPUT XIII.
# DE HYMNO
# *TE DEUM,*
# PRO GRATIARUM ACTIONE
# *DECANTATO.*

*PRO victoria à Rege obtenta, aut quadam alia de cauſa, aliquandò de Mandato DD. Archiepiſcopi ſolemniter cantatur* Te Deum, *invitatis ad hanc cæremoniam omnibus Curiis. Itaquè pridiè veſperi, & manè poſt ultimum ſignum Officii matutini, ſolemniter pulſantur campanæ, ut moneantur omnes de hac cæremonia; itaquè horâ competenti, & poſt acceſſum Curiæ Parlamenti, Canonicus Hebdomadarius cappâ coloris convenientis indutus, præcedentibus duobus Ceroferariis & Cæremoniario, procedit cum duobus Bordoneriis cappis ejuſdem coloris indutis, ſequente Miniſtro de bugia, è Sacriſtia ad Altare Chori, ibìque ſtans medius inter Bordonerios, ſalutatâ reverenter altaris Cruce, imponit Hymnum* Te Deum, *qui cantatur à Muſicis, & quem ipſe ibidem dicit unà cum aſſiſtentibus.*

*Finito Hymno, duo Bordonerii imponunt in ſexto tono, & tribus vicibus diſtinctis, Verſum* Dómine, ſalvum fac Regem, &c., *quem Muſici quâlibet vice in diſcantu proſequuntur. Poſteà Pueri Chori cantant* ℣℣. *ſequentes, & Celebrans Orationes.*

℣. Benedicámus Patrem, & Fílium cum ſancto Spíritu;

℟. Laudémus & ſuperexaltémus eum in ſécula;

℣. Fiat manus tua ſuper virum déxteræ tuæ,

℟. Et ſuper fílium hóminis quem confirmaſti tibi.

℣. Dóminus vobiſcum, ℟. Et cum Spíritu tuo.

Orémus.

DEus, cujus miſéricórdiæ non eſt númerus, & bonitátis infinítus eſt theſaurus: piíſſimæ majeſtáti tuæ pro collátis donis grátias ágimus, tuam ſemper cleméntiam exorantes; ut qui peténtibus poſtuláta concédis; eoſdem non déſerens, ad præmia futúra diſpónas.

QUæſumus, omnípotens Deus, ut fámulus tuus *N.* Rex noſter, qui tuâ miſeratióne ſuſcépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium percípiat incrementa, quibus decenter ornátus, & vitiórum monſtra devitáre, hoſtes ſuperáre, & ad te, qui via, véritas & vita es, gratióſus váleat perveníre; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Poſteà eodem ordine quo venerunt, recedunt in Sacriſtiam.*

# CAPUT XIV.

# ORDO

## *RECIPIENDI PROCESSIONALITER*

# D.D. ARCHIEPISCOPUM,

## *IN SUO PRIMO ACCESSU*

## AD ECCLESIAM TOLOSANAM.

*HORA aſſignatâ conveniunt omnes in Sacriſtiam, datoque ſigno à D. Cantore Majori, præcedente Cruce, proceſſionaliter procedunt omnes, quiſque ordine ſuo, per Chorum à latere Evangelii, & per navim ab eodem latere ad veſtibulum Eccleſiæ, quod, propter anguſtiam loci, ineunt ſoli Canonici cum Miniſtris neceſſariis, remanentibus omnibus aliis de Clero cum Cruce in navi in duas lineas diviſis à latere fontis Aquæ luſtralis.*

*Clauduntur autem fores veſtibuli uſquè dùm peracta ſint quæ in hac cærem. fieri ſolent: quibus completis, aperiuntur fores interiores, & navim ingrediens D. D. Archiepiſcopus cantat primum Verſum Hymni* Te Deum. *Deindè pulſantur Organa, & proceditur ad Sanctuarium Chori, præcedentibus ſcilicèt Cruce Capituli in capite Cleri, & Cruce Archiepiſcopi poſt Hebdomadarios in capite Canonicorum.*

*Crux Capituli ad* Sacriſtiam *defertur, & de Altari ad ſedem, & de ſede ad Altare ducitur*

*D. D. Archiepiſcopus, ſuâ dumtaxat præcedente Cruce.*

*Ceſſantibus Organis, cantatur Hymnus* Te Deum. *à Muſicis, quo finito, dignior de Capitulo aſcendit ad Altare, & ſtans in cornu Epiſtolæ Verſus ad D. D. Archiepiſcopum in infimo gradu Altaris genuflexum cantat, Choro reſpondente, Verſus ſequentes cum Oratione, ut infrà.*

℣. Protector noſter áſpice, Deus,
℟. Et réſpice in fáciem Chriſti tui.
℣. Salvum fac ſervum tuum,
℟. Deus meus ſperantem in te.
℣. Mitte ei, Dómine, auxílium de ſancto.
℟. Et de Sion tuére eum.
℣. Nihil profíciat inimícus in eo,
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére ei.
℣. Dómine, exaudi oratiónem meam,
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobiſcum,
℟. Et cum Spíritu tuo.

Orémus.

DEus, ómnium fidélium Paſtor & Rector; fámulum tuum *N.* quem Eccléſiæ Toloſanæ præeſſe voluiſti, propítius réſpice: da ei, quæſumus, verbo & exemplo, quibus præeſt, profícere, ut ad vitam, unà cum grege ſibi crédito pervéniat ſempiternam; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Quibus dictis deſcendit dignior in planum à latere Epiſtolæ, ibìque depoſitâ cappâ, venit ad dexteram Archiep., qui, ſumptis Mitrâ & Baculo, ſuâ præcedente Cruce, ducitur ad ſedem ſuam Chori, ſequentibus Canonicis, cunctiſque aliis de Clero; ibìque ſedens recipit omnes Canonicos ad amplexum, omneſque alios ad oſculum manûs vel annuli.*

*Poſteà D. D. Archiepiſcopus eodem modo quo venit, redit ad Altare, quod, depoſitis in infimo gradu Baculo & Mitrâ, oſculatur in medio. Interim cantatur Antiphona de Patrono Eccleſiæ, ut infrà.*




℣. Poſuérunt adversùm me mala pro bonis,
℟. Et ódium pro dilectióne mea.

*Deindè D. D. Archiepiſcopus in cornu Epiſtolæ, & converſus ad Altare, dicit cantando:*

℣. Dóminus vobiſcum,
℟. Et cum Spíritu tuo.

Orémus

OMnípotens ſempiterne Deus, qui primítias Mártyrum in Beáti Levítæ Stéphani ſánguine dedicaſti: tríbue, quæſumus, ut pro nobis interceſſor exiſtat, qui pro ſuis étiam perſecutóribus exorávit Dóminum noſtrum J ſum Chriſtum Fílium tuum. ℟. Amen.

*Poſt Orationem, D. D. Archiepiſcopus ad medium Altaris reverſus ſolemniter populo benedicit; deindè, promulgatis indulgentiis, pergit ad ſolium in Sanctuario erectum, ubì veſtes ſacras deponit; poſteà, ſequentibus Canonicis, Beneficiatis & Habituatis, in medio duorum digniorum ad Palatium ſuum procedit, ubì omnibus coram Archiepiſcopo per gyrum circumſtantibus, dignior alteram ad Archiepiſcopum concionem habet benevolam; auditoque Archiepiſcopi reſponſor. ſervatis reverentiis debitis, omnes recedunt.*

FINIS PRIMÆ PARTIS.

# PROCESSIONALE ECCLESIÆ TOLOSANÆ.

## PARS SECUNDA.

*De Proceſſionibus ab Eccleſia Toloſana, ſive privatis ſive generalibus, extrà ſepta Eccleſiæ fieri ſolitis.*

## CAPUT I.

DIE XXV. APRILIS.

*In Feſto*

### SANCTI MARCI.

SI *Feſtum S. Marci occurrat intrà Hebdomadam Paſchæ, ejus Officium transfertur in primam diem non impeditam poſt Dominicam in Albis depoſitis. Proceſſio autem Litaniarum fit ſemper, quocumque Feſto occurrente, Feriâ ſecundâ poſt dictam Dominicam; ſi verò*

*fiat in ipſo die Feſto S. Marci ; dictâ Miſſâ Feſti poſt Tertiam , dictoque poſt ſextam* Benedicámus Dómino , *&c. immediatè duo Cantores cottâ ſolâ induti , ad pulpitum majus ſtantes imponunt Antiph. ſequentem.*

*Antiph. de 2.*





E- xur- ge , &c.

*Repetitâ Antiphonâ uſquè ad Pſalm. dicitur ſequens Oratio ab eo qui poſt Litanias dicturus eſt preces & Orationes.*

Orémus.

MEntem famíliæ tuæ, quæſumus, Dómine, interveniente beátâ Dei Genitríce Maríâ, cum ómnibus ſanctis, & múnere compunctiónis áperi, & largitáte pietátis exaudi; Per eumdem Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Poſt Orationem præcedentem, duo Cantores ante Pulpitum majus genuflexi incipiunt Litanias majores ut infrà notantur: non duplicantur niſi ratione longioris itineris. Ad hæc verba,* Sancta María. *ſurgunt omnes, & ſit Proceſſio ſine ſtatione aut versùs Capitolium, aut versùs Salinum, prout notatur in brevi. Poſt reditum Proceſſionis, dicùntur preces in Choro, & flexis genibus à Domino Canonico Reſpondente in loco ſuo.*

*Si ad extrà, propter intemperiem aëris fieri non poſſit hæc Proceſſio, ſervetur Rubrica quæ habetur infrà Feriâ IV. Rogationum.*

## LITANIÆ.



KY- ri- e, e-le- i- ſon.



Chriſ- te, e- le- i- ſon. Ky-




Sancta Dei génitrix , orá pro nobis.
Sancta Virgo Vírginum , ora pro nobis.
Sancte Míchaël , ora pro nobis.
Sancte Gábriel , ora pro nobis.
Sancte Ráphaël , ora pro nobis.

Omnes ſancti Angeli, & Archángeli, oráte.
Omnes Sancti beatórum Spirítuum órdines, oráte.
Sancte Joannes-Baptiſta, ora pro nobis.
Sancte Joſeph, ora pro nobis.
Omnes ſancti Patriarchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora pro nobis.
Sancte Paule, ora pro nobis.
Sancte Andréa, ora pro nobis.
Sancte Jacóbe, (*Zeb.*) ora pro nobis.
Sancte Joannes, ora pro nobis.
Sancte Thoma, ora pro nobis.
Sancte Jacóbe, ora pro nobis.
Sancte Philippe, ora pro nobis.
Sancte Bartholomæe, ora pro nobis.
Sancte Matthæe, ora pro nobis.
Sancte Simon, ora pro nobis.
Sancte Thadæe, ora pro nobis.
Sancte Matthia, ora pro nobis.
Sancte Bárnaba, ora pro nobis.
Sancte Marce, ora pro nobis.
Sancte Luca, ora pro nobis.
Omnes Sancti Apóſtoli & Evangeliſtæ, oráte.
Omnes ſancti Diſcípuli Dómini, oráte pro nobis.
Omnes Sancti Innocentes, oráte pro nobis.
Sancte Stéphane, ora pro nobis.
Sancte Clemens, ora pro nobis.
Sancte Fabiáne, ora pro nobis.
Sancte Saturníne, ora pro nobis.
Sancte Pápule, ora pro nobis.
Sancte Laurenti, ora pro nobis.
Sancte Antoníne, ora pro nobis.
Sancte Sebaſtiáne, ora pro nobis.
Sancte Pothíne cum ſóciis tuis, ora pro nobis.
Sancte Irenæe cum ſóciis tuis, ora pro nobis.
Sancte Dionyſi cum ſóciis tuis, ora pro nobis.
Sancte Maurítci cum ſóciis tuis, ora pro nobis.

Sancti Cyrice & Julitta, oráte pro nobis.
Sancti Aſciſcle & Victória, oráte pro nobis.
Sancti Joannes & Paule, oráte pro nobis.
Sancti Coſma & Damiáne, oráte pro nobis.
Sancti Gerváſi & Protáſi, oráte pro nobis.
Sancte Georgi, ora pro nobis.
Sancte Eadmunde, ora pro nobis.
Sancte Felix, ora pro nobis.
Omnes Sancti Martyres, oráte.
Sancte Sylveſter, ora pro nobis.
Sancte Leo, ora pro nobis.
Sancte Gregóri, ora pro nobis.
Sancte Ambróſi, ora pro nobis.
Sancte Auguſtíne, ora pro nobis.
Sancte Hierónime, ora pro nobis.
Sancte Athanáſi, ora pro nobis.
Sancte Baſíli, ora pro nobis.
Sancte Gregóri Nazianzéne, ora pro nobis.
Sancte Joannes Chryſóſtome, ora pro nobis.
Sancte Hilári, ora pro nobis.
Sancte Cæſári, ora pro nobis.
Sancte Honoráte, ora pro nobis.
Sancte Hilári, (*Toloſ.*) ora pro nobis.
Sancte Sylvi, ora pro nobis.
Sancte Exúperi, ora pro nobis.
Sancte Germéri, ora pro nobis.
Sancte Eremberte, ora pro nobis.
Sancte Ludovíce, (*Toloſ.*) ora pro nobis.
Sancte Nicoláë, ora pro nobis.
Sancte Remígi, ora pro nobis.
Sancte Sylvíne, ora pro nobis.
Sancte Aláne, ora pro nobis.
Sancte Bertrande, ora pro nobis.
Sancte Cárole, ora pro nobis.
Sancte Franciſce Saléſi, ora pro nobis.
Sancte Bernarde, ora pro nobis.

Sancte Thoma Aquínas, ora pro nobis.
Omnes Sancti Pontífices & Confeſſóres, oráte.
Omnes ſancti Doctóres, oráte pro nobis.
Sancte Honeſte, ora pro nobis.
Sancte Raymunde, ora pro nobis.
Sancte Antóni, ora pro nobis.
Sancte Benedicte, ora pro nobis.
Sancte Ægídi, ora pro nobis.
Sancte Odo, ora pro nobis.
Sancte Guillelme, ora pro nobis.
Sancte Gilberte, ora pro nobis.
Sancte Domínice, ora pro nobis.
Sancte Franciſce, ora pro nobis.
Sancte Ludovíce, ora pro nobis.
Sancte Roche, ora pro nobis.
Sancte Gauderíce, ora pro nobis.
Omnes ſancti Sacerdótes & Levítæ, oráte.
Omnes ſancti Mónachi & Eremítæ, oráte.
Sancta Anna, ora pro nobis.
Sancta María Magdaléne, ora pro nobis.
Sancta Thecla, ora pro nobis.
Sanctæ Perpétua & Felícitas, oráte pro nobis.
Sancta Agatha, ora pro nobis.
Sancta Lúcia, ora pro nobis.
Sancta Agnes, ora pro nobis.
Sancta Cæcília, ora pro nobis.
Sancta Catharína, ora pro nobis.
Sancta Anaſtáſia, ora pro nobis.
Sancta Camilla, ora pro nobis.
Sancta Genovéfa, ora pro nobis.
Sancta Clotildis, ora pro nobis.
Sancta Radegundis, ora pro nobis.
Sancta Bathildis, ora pro nobis.
Sancta Theréſia, ora pro nobis.
Sancta María Ægyptia, ora pro nobis.
Omnes Sanctæ Vírgines & Víduæ, oráte.




Propítius eſto, exaudi nos, Dómine.
Ab omni malo, líbera nos, Dómine.
Ab omni peccáto, líbera.
Ab ira tua, líbera.
A ſubitánea & improvíſa morte, líbera.
Ab inſídiis Diáboli, líbera nos, Dómine.
Ab immundis cogitatiónibus, líbera.
A Spíritu fornicatiónis, líbera.
Ab ira, & ódio, & omni mala voluntáte, líb.
A fúlgure & tempeſtáte, líbera.
A morte perpétua, líbera.
Per myſtérium ſanctæ incarnatiónis tuæ, líb.
Per Adventum tuum, líbera.
Per Nativitátem tuam, líbera.
Per Baptiſmum & ſanctum Jejúnium tuum, líb.
Per Crucem & Paſſiónem tuam, líbera.
Per mortem & ſepultúram tuam, líbera.
Per ſanctam reſurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem Aſcenſiónem tuam, líbera.
Per Adventum Spíritûs ſancti paracléti, líbera.
In die judícii, líbera nos, Dómine.




Ut ad veram pœniténtiam nos perdúcere dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut remiſſiónem peccatórum noſtrórum nobis dones, te rogámus, audi nos.
Ut compunctiónem cordis, fontemque lacrymárum nobis dones, te rogámus, audi nos.
Ut fidem, ſpem & caritátem nobis dones, te rogámus, audi nos.
Ut Eccléſiam tuam ſanctam régere & conſerváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut Domnum Apoſtólicum & omnes gradus Eccléſiæ in ſancta religióne conſerváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut Antíſtitem noſtrum, & omnes congregatiónes illi commiſſas, in tuo ſancto obſéquio conſerváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut Regem noſtrum cuſtodíre dignéris, te rog.
Ut inimícos ſanctæ Eccléſiæ humiliáre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut Régibus & Princípibus Chriſtiánis pacem & veram concórdiam donáre dignéris, te rog.
Ut cuncto pópulo Chriſtiáno pacem & unitátem largíri dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut noſmetipſos in tuo ſancto ſervítio confortáre & conſerváre dignéris, te rogámus.
Ut mentes noſtras ad cœléſtia deſidéria érigas, te rogámus, audi nos.
Ut ómnibus benefactóribus noſtris ſempitérna bona retríbuas, te rogámus, audi nos.

Ut ánimas noſtras, fratrum, propinquórum, & benefactórum noſtrórum, ab æterna damnatióne erípias, te rogámus, audi nos.

Ut fructus terræ dare & conſerváre dignéris, te rogámus, audi nos.

Ut ómnibus fidélibus defunctis réquiem ætérnam donáre dignéris, te rogámus, audi nos.

Ut nos exaudíre dignéris, te rogámus, audi nos.

Fili Dei, te rogámus, audi nos.




Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exaudi nos, Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miſeréré nobis.



*Celebrans dicit :* Pater noſter. *Reliqua ſecretò uſque ad* ℣. Et ne nos, *&c. quem Celebrans genuflexus altâ voce cantat cum aliis ſequentibus, reſpondente Choro genuflexo.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem ;

℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Non ſecundùm peccáta noſtra fácias nobis:

℟. Neque ſecundùm iniquitátes noſtras retríbuas nobis.

℣. Eſto nobis, Dómine, turris fortitúdinis,

℟. A fácie inimíci.

℣. Orémus pro ſummo Pontífice *N.*

℟. Det illi Dóminus aſſiſtrícem ſapiéntiam, ut diſpónat pópulum Dei juſtè.

℣. Pro Paſtóre noſtro *N.*

℟. Dóminus conſervet eum, & vivíficet eum.

℣. Pro Rege noſtro *N.*

℟. Dómine, ſalvum fac Regem ; & exaudi nos in die quâ invocavérimus te.

℣. Pro benefactóribus noſtris ;

℟. Deus ómnium grátiam abundáre fáciat in illis, & áugeat incrementa frugum juſtítiæ illórum.

℣. Pro cunctis fidélibus defunctis.

℟. Edúcat eos in lucem, & vídeant juſtítiam ejus.

℣. Pro infirmis, afflictis, captívis, & peregrínis.

℟. Líbera eos, Deus, ex ómnibus tribulatiónibus ſuis.

℣. Pro frátribus noſtris abſéntibus.

℟. Bénefac, Dómine, bonis & rectis corde.

℣. Memor eſto congregatiónis tuæ,

℟. Quam poſſediſti ab inítio.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam ;

℟. Et clamor meus ad te véniat.

*Tunc Celebrans ſurgit, & ſtans dicit quæ ſequuntur.*

℣. Dóminus vobiſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DEus, cui próprium eſt miſeréri ſemper, & párcere: ſúſcipe deprecatiónem noſtram; ut nos, & omnes fámulos tuos quos delictórum caténa conſtringit, miſerátio tuæ pietátis clementer abſolvat.

EXaudi, quæſumus, Dómine, ſúpplicum preces, & confiténtium tibi parce peccátis; ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benignus & pacem.

INeffábilem nobis, Dómine, miſericórdiam tuam clementer oſtende; ut ſimul nos & à peccátis ómnibus éxuas, & à pœnis quas pro his merémur, erípias.

DEus, qui culpas delinquéntium diſtrictè feriendo pércutis, fletus quoque lugéntium non recúſas: quæſumus, ut qui pondus tuæ animadverſiónis cognóvimus, pietátis tuæ grátiam ſentiámus.

DEus, ómnium fidélium Paſtor & Rector, fámulum tuum *N.* quem Paſtórem Eccléſiæ tuæ præeſſe voluiſti, propítius réſpice; da ei, quæſumus, verbo & exemplo, quibus præeſt profícere; ut ad vitam unà cum grege ſibi crédito, pervéniat ſempiternam.

OMnípotens, ſempiterne Deus, miſerére fámulo tuo Pontífici noſtro *N.* & dírige eum ſecundùm tuam clementiam in viam ſalútis ætérnæ; ut, te donante, tibi plácita cúpiat, & totâ virtúte perfíciat.

QUæſumus, omnípotens, Deus, ut fámulus tuus Rex noſter *N.* qui tuâ miſeratióne ſuſcépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium percípiat incrementa; quibus decenter ornátus, vitiórum monſtra devitáre, hoſtes ſuperáre, & ad te qui via, véritas, & vita es, gratióſus váleat perveníre.

DEus, à quo ſancta deſidéria, recta consília, & juſta ſunt ópera: da ſervis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem; ut & corda noſtra mandátis tuis dédita, &, hóſtium ſublátâ formídine, témpora ſint tuâ protectióne tranquilla.

URe igne ſancti Spíritûs renes noſtros & cor noſtrum, Dómine; ut tibi caſto córpore ſerviámus, & mundo corde placeámus.

ACtiónes noſtras, quæſumus, Dómine, aſpirando præveni, & adjuvando proſéquere; ut cuncta noſtra orátio & operátio à te ſemper incípiat, & per te cœpta finiátur.

FIdélium, Deus, ómnium Cónditor & Redemptor, animábus famulórum famularumque tuárum remiſſiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam ſemper optavérunt, piis ſupplicatiónibus conſequantur.

OMnípotens, ſempiterne Deus, qui vivórum domináris ſimul & mortuórum, omniumque miſeréris, quos tuos fide & ópere futúros eſſe prænoſcis: te ſúpplices exorámus, ut pro quibus effúndere preces decrévimus, quoſque vel præſens ſéculum adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore ſuſcépit, intercedéntibus ómnibus ſanctis tuis, pietátis tuæ cleméntiâ, ómnium delictórum ſuórum véniam conſequantur; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

# CAPUT II.

## DIE III. MAII.

# DE PROCESSIONE

## *FIERI SOLITA*

# IN FESTO INVENTIONIS

## *SANCTÆ CRUCIS,*

*QUATUOR ſunt Eccleſiæ, ſcilicèt Eccleſia Canonicorum regularium SS. Trinitatis, S. Antonii Viennenſis, S. Joannis & Pœnitentiam S. Crucis, in quarum unam ſingulis annis & alternatìm itur proceſſionaliter; quamobrèm celebratâ Miſſâ principali in Choro, & poſt Sextam officio penitùs completo, præcedente Cruce, ingrediuntur Chorum quatuor Bordonerii Dalmaticis rubeis parati, deindè accedit Hebdomadarius reſpondens cum cappa ejuſdem coloris, & venit, habens ante & poſt ſe duos pueros Chori faces accenſas geſtantes, ante capſam in qua includitur quædam pars veræ Crucis; ibique medius inter Bordonerios genuflectit; ceteriſque de Choro genuflexis, cantatur integrè prima ſtrophe Hymni ſequentis; quâ finitâ ſurgunt omnes, & proceditur ad Eccleſiam in brevi deſignatam, cantando alias ſtrophes ejuſdem Hymni uſquè ad finem. Quo finito, decantabuntur, prout opus erit, Hymni qui infrà habentur.*

*Adveniente autem Feſto S. Crucis Feria II. aut III. vel IV. Rogationum, iſta proceſſio fit ante Miſſam conventualem circà clauſtrum ut in obitibus cum proceſſione fieri ſolitum eſt. Idem dicendum, ſi propter tempus pluviâ infeſtum ad extra fieri non poſſit.*

*Finita Miſſâ recedunt Bordonerii in Sacriſtiam; interìm imponitur* ℟. Líbera, *&c. ut habetur ſuprà, ab uno è Choriſtis, & præcedente Subdiacono cum Cruce, proceditur ad Capellam S. Crucis, ibique fit Abſolutio ut de more.*

*Hymnus, de 3.*




nos pepe- rit tho-rus ; Currus tri-
umphan-tis , tri-bu- nal Ju- di- cis ,
at- que li- tan- tis a- ra.
3. Non rapta cæ- ſis hoſ- ti-bus
impi- a Hìc ar-ma ful-gent ; nec
domi- ti duces Gra-ves ca- te-
nis hìc tra-hun-tur : No-bi- li- or
Crucis eſt tri- umphus.
4. Orbis re-dempti qua- li- a pig-
no-ra ! Crux tincta Chriſ-ti ſan-
guine adhuc madet : Spera- te , mor-
ta-les : ſa- lu- tem Ple-na ne- cis


monumen- ta præſtant.
5. Crux certa cœ- li ſe- mi-ta,
quæ Pa-tris Thronum pe-ten- ti
pan- dis i- ter De-o : Nunc al-
te- râ no-bis ne- fas eſt I- re
vi- â ma-lè de- li- ca- tos.
6. Laus ſumma Pa- tri qui cre-at
omni- a, Na-toque mundum qui
re-pa- rat Cruce : Qui cuncta re-
plet, ſumma ſancto Spi-ri- tu- i :
tribus u- na ſemper. A- men.

*Poſt Hymnum præcedentem, cantantur Hymni ſequentes aut pars illorum prout opus erit, & ut infrà notantur.*

*Hymnus, de 8.*




*Intrà Octavam Aſcenſionis adhibetur cantus ſequens.*

*De 1.*




Quid, dura foſſóris manus,
Scrutáris alta víſcera ?
Celáre lignum ſit pudor,
Quo noſtra ſurgit glória.

En illa gemma pérdita
Inventa tot labóribus:
En qui latébat, érutus
Theſaurus agro pródiit.
Regína quæſítam crucem,
Monſtrante Chriſto, répperit:
Oblíta faſtus régios,
Sceptro repertam prætulit.
Crux ſancta, Chriſti córporis
Virtus ſalúbrem te facit:
Contingit ut te mórtuus,
Vitæ prióri rédditur.
Qui per crucem nos líberas,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre; nec tibi minor
Laus, utriuſque Spíritus. Amen.

*Si nondùm pervenerit proceſſio ad Eccleſiam ſtationis, omittitur Doxol.* Qui per Crucem, *&c. ſed ſtatim incipitur Hymnus ſequens ſub cantu Hymni præcedentis.*

*Hymnus.*

SIgnum novi Crux fœderis,
Crux orbis arca náufragi,
Cùm jam perímus, nos ratis
Portus refers in pátrios.
Telis rubentem flámmeis
Ultóris exarmas manum:
Placátur, ut te réſpicit,
Iras & oblivíſcitur
Lethále ſi vulnus ferat
Infernus anguis mórſibus;
Læſi ſimul te víderint,
Repentè tu medéberis.
Ara ſub illa par Deo
Se conſecrávit hóſtia:
Hâc ſede læſum Fílius

Placávit orátor Patrem.

Crux ſancta, Crux amábilis,
Crux tincta Chriſti ſánguine,
Hauríre da nos lárgiùs
Vitam, Dei de fúnere.

Qui per Crucem nos líberas,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre; nec tibi minor
Laus, utriuſque Spíritus. Amen.

*Si nondùm venerit proceſſio ad Eccleſiam ſtationis, cantatur Hymnus ſequens intrà Octav. Aſcenſionis ſub cantu Hymnorum præcedentium; in aliis verò temporibus, finito Hymno præcedenti cum ſua Doxologia cantatur ut ſequitur.*

*Hymnus, de 8.*




Clavi pedes, clavi manus
Fixêre duro ſtípiti:
Cinctum cruentis végribus
In te recumbebat caput.

Cum morte luctantis Dei
Legis ſuprémos ſpíritus:
Chriſtus tuo, volens mori,
Vitam relíquit in ſinu.

Tu lectus in quo nos parit,
Suggeſtus è quo nos docet,
Olim tremendum ſóntibus
Eris tribúnal júdicis.
Qui per Crucem nos líberas,
Fili, tibi laus máxima
Cum Patre; nec tibi minor
Laus, utriuſque Spíritus. Amen.

*In Eccleſia ſtationis celebratur Miſſa ſolemnis à D. Canonico reſpondente ; cantatur autem abſque Bordoneriis, ſed cum muſica : in illa non defertur pax ; neque incenſum, incenſato enim altari, ſolus thurificatur celebrans.*

*Finitâ Miſſâ, Bordonerii ante Altare vel ante capſam SS. Crucis, pro ſitu loci, ſtantes imponunt Hymnum ſequentem, ad reditum proceſſionis.*

*De 4. in* A.




teſ- ta- tes; Ti-bi Che-rubim
& Se- raphim *in-ceſſa- bi- li voce
pro-cla- mant: Sanc- tus, Sanc- tus,
Sanctus, Dominus De-us Sa-ba-oth.
Ple- ni ſunt cœ-li & ter- ra *
ma- jeſta- tis glo-ri- æ tu- æ.
Te glo- ri- o- ſus * A-poſto- lo-rum
cho- rus, Te Prophe- ta- rum * lau-
da-bi- lis nu- me-rus, Te Mar-ty-
rum candi- da- tus * laudat e- xer-
ci- tus. Te per or- bem ter-ra-


rum * ſancta con-fi- te- tur Eccle-
ſi- a. Pa- trem * immenſæ majeſ-
ta-tis : Ve- ne-randum tu- um ve-rum, *
& u- ni-cum Fi- li-um. Sanctum
quoque * Para- cletum Spi- ri- tum.
Tu Rex * glo-ri- æ, Chriſte ; Tu
Pa- tris * ſempi- ternus es Fi-
li- us : Tu, ad li- be- randum
ſuſcep-tu-rus hó- minem, * non hor-
ru- iſ- ti Virgi- nis u- te-rum :
Tu, de-vic- to mortis a- cu- le- o, *


a- pe- ru- iſ- ti cre-denti- bus regna
cœ-lo- rum : Tu , ad dex-te- ram
De- i ſe- des * in glo-ri- a
Pa- tris. Ju- dex crede-ris * eſſe
ventu-rus. Te er-gò quæſumus,
famu- lis tu- is ſubve- ni , * quos
pre-ti- o- ſo ſangui-ne re- demiſ-
ti. Æ-ternâ fac * cum Sanctis
tu- is glo- ri- â mu- ne- ra- ri. Sal-
vum fac po- pu-lum tu-um , Domi-
ne , * & be-ne- dic hæ-re- di-ta- ti
tu- æ ; Et re-ge e- os , * &


extol-le il-los uſquè in æ-
ternum. Per ſin- gu- los di- es *
be-ne-di- cimus te ; Et laudamus
nomen tu-um in ſe-cu-lum, * &
in ſe- cu-lum ſe- cu- li. Digna- re ,
Domi- ne , di- e iſ-to * ſi- ne pec-
ca-to nos cuſto- di- re. Mi- ſe-
re- re noſtrî , Do-mi- ne ; * mi-ſe-
re- re noſtrî. Fi-at mi-ſe- ri-cor-
di- a tu- a , Dómi- ne , ſu-per
nos, * quemad- modùm ſpe-ra- vimus
in te. In te , Do-mi- ne ,




*Si finito Hymno præcedenti , nondùm advenerit proceſſio ad plateam S. Stephani , cantatur quidam ex Hymnis ſequentibus pro varietate temporis ; ſed in platea S. Stephani , imponitur ſemper Reſponſorium* Adduxérunt , *&c. ut habetur infrà, cujus verſus cantatur à duobus primis Bordoneriis.*

*Hymnus , de 5.*




Vincit obſtantem lápidem ſepulcri ;
Vincit armátas vígilûm cohortes ;
Vincla perrumpit , quibus obligátus
Ingemit orbis.
Quem timor clauſum látebris cœrcet ,
Se gregi rursùs fácilem vidéri

Præbet & certum ſua fert amóris
Vúlnera pignus.
De Dei regno documenta pandit;
Hujus & regni ſtat imágo viva,
Quâ mori mundo docet, & ſupernas
Quærere ſedes.
Ergò, jam nunquàm moritúre, vivis,
Chriſte; quos fuſo rédimis cruóre,
Fac in æternum tua vita nobis
Vívere præſtet.
Summa laus Patri; Genitóque ſumma,
Morte qui victâ ſibi dat renaſci,
Quem patri conſors Amor, & perennis
Glória jungit. Amen.

*Additur ſequens Hymnus ſi opus ſit.*




Nunc ergò lætas víndici
Grates rependámus Deo:
Agníque menſam cándidis
Cingámus ornáti ſtolis.
Hujus ſacráto córpore,
Amóris igne férvidi,

Veſcámur atque ſánguine :
Veſcendo , vívimus Deo.
Jam Paſcha noſtrum Chriſtus eſt,
Hic agnus, hæc eſt víctima,
Cruóre cujus íllitos
Tranſmittit ultor Angelus.
O digna cœlo víctima
Mors ipſa per quam víncitur,
Per quam refractis ínferi
Prædam reláxant póſtibus.
Chriſtus ſepulcri faucibus
Emerſus ad lucem redit ;
Hoſtem retrúdit tártaro,
Cœlíque pandit íntima.
Da , Chriſte, nos tecum mori ;
Tecum ſimul da ſúrgere :
Terréna da contémnere ;
Amáre da cœléſtia.
Sit laus Patri ; laus Fílio ,
Qui nos , triumphátâ nece ,
Ad aſtra ſecum dux vocat :
Compar tibi laus , Spíritus. Amen.

*Intrà Octavam Aſcenſionis loco Hymnorum præcedentium dicuntur Hymni ſequentes , aut unus ex eis.*

*Hymnus , de 1.*





vi- â ten-tas ho-mi-ni ne-ga-tâ



Scande-re cœlum.

Ocior venti reſonante pennâ
Vi ſuâ, celſum per ináne fertur:
Non eget curru; jubet, & recédunt
Sídera nutu.

Clauſa tot ſeclis patet aula Cœli:
Ipſe Rex claros jaculátus ignes,
Mœnibus ruptis, ſubit, & ſupernas
Tránſvolat arces.

Se Deo ſiſtit: Pater, ecce Natus;
In tuo victor grémio repónit
Plúrimo partas, & adhuc rubentes;
Sánguine lauros.

Tu, caput, ſurgis: tua ſed jacémus
Membra: quam præfers, Mediátor, audi
Quanta pro membris tibi Crux potente
Voce loquátur.

Summa laus ſummæ tríadi per orbem:
Qui tenes dextram ſólii paterni,
Pacis æternæ ſimul eſto nobis
Auctor & obſes. Amen.

*Additur ſequens Hymnus ſi opus ſit.*

*Hymnus, de 1.*



JE-ſu, noſtra re-dempti- o,



Amor & de-ſide-ri-um, De-us cre-




Quæ te vicit cleméntia ,
Ut ferres noſtra crímina ,
Crudélem mortem pátiens ,
Ut nos à morte tólleres.
Inferni clauſtra pénetrans
Tuos captívos rédimens ,
Victor triumpho nóbili ,
Ad dextram Patris réſidens.
Ipſa te cogat pietas
Ut mala noſtra ſúperes
Parcendo , & voti cómpotes
Nos tuo vultu ſáties.
Tu eſto noſtrum gáudium ,
Qui es futúrus præmium :
Sit noſtra in te glória
Per cuncta ſemper ſécula. Amen.

*Reſponſor. ſequens imponitur in plateâ S. Stephani , & cantatur ab utròque Choro procedendo ad Eccleſiam ; Verſus verò cantatur à duobus primis Bordoneriis.*

*Reſponſor de 1.* A







li- um , & * Sta- tu- e-
runt falſos teſ- tes qui
di- cerent : Homo iſ- te non
ceſ- ſat lo- qui Ver- ba ad-
versùs lo- cum ſanctum &
le- gem. Al- le- lu- ia ,
al- le- lu- ia. ℣. Adduc- tis
vi- ris fi- li- is di- a- bo- li ,
fe-ce- runt e- os ſe- de- re
con- tra e- um. * Sta-
tu- e- runt.

*Poſt Reſponſorium præcedens fit ſtatio in navi Eccleſiæ, ad quam omnes ſtant converſâ ad invicèm facie, exceptis celebrante & pueris Chori faces portantibus qui ante capſam ſtant ad Altare converſi; interim Bordonerii imponunt Antiph. ſequentem, & ſtatim recedunt in Sacriſtiam. Finitâ Antiphonâ, dicitur à pueris Chori verſus, & Oratio ab Hebdomadario, ut infrà.*

*Antiph. de 1.*




℣. Dícite in Géntibus quia Dóminus regnávit à ligno;

℟. Judicábit pópulos in æquitáte.

℣. Dóminus vobiſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DEus, qui in præclára ſalutíferæ Crucis Inventióne Paſſiónis tuæ mirácula ſuſcitaſti: concéde, ut vitális ligni prétio ætérnæ vitæ ſuffrágia conſequámur; Qui vivis & regnas in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

*Poſt Orationem unus è Choriſtis imponit* ℟. Líbera, *&c. ut habetur ſuprà pag.* 116. *& pergunt omnes ad capellam S. Crucis, ibique, depoſitâ cappâ ab Hebdomadario, ſumptâque ſtolâ nigrâ, fit abſolutio, & cantatur* De profundis, *&c. cum muſica; interim defertur capſa reliquiarum S. Crucis in Sacriſtiam.*

*In fine Pſalmi celebrans dicit:*

℣. Réquiem ætérnam dona eis Dómine,
℟. Et lux perpétua lúceat eis.
℣. A porta ínferi,
℟. Érue, Dómine ánimas eórum.
℣. Requieſcant in pace.
℟. Amen.
℣. Dómine exaudi oratiónem meam,
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobiſcum,
℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DEus, qui inter miniſtros & diſpenſatóres myſteriórum tuórum fámulum tuum *N.* ad ſacrificandum tibi hóſtiam laudis elegiſti; te ſúpplices exorámus, ut eum à carnis vín-

culis abſolútum, cum iis qui benè miniſtráverint, partem recípere, & in gáudium tuum fácias introíre; Per Chriſtum Dóminum noſtrum.
℟. Amen.

℣. Réquiem æternam dona eis, Dómine.
℟. Et lux perpétua lúceat eis.
℣. Requieſcant in pace.
℟. Amen.

# CAPUT III.
# DE PROCESSIONIBUS ROGATIONUM.

*HOc triduo fiunt proceſſiones ab Eccleſia Toloſana quibus interſunt Capitulum Eccleſiæ Abbatialis S. Saturnini, & Religioſi B. Mariæ Deauratæ, ordine ſequenti.*

*Feriâ II. Rogationum, proceſſionaliter venit Capitulum S. Saturnini ad Eccleſiam Metropolitanam, ex qua, factâ ſtatione in ea, diſcedit pergendo per ſuburbium S. Stephani ad capellam S. Albani, & indè procedit ad Eccleſiam ſuam.*

*Poſtea veniunt Religioſi B. Mariæ Deauratæ, & factâ ſtatione ut ſuprà, diſcedunt & ſequuntur Capitulum S. Saturnini.*

*Denique ſupra dicto Capitulo, patribuſque Religioſis B. Mariæ Deauratæ præcedentibus, Capitulum S. Stephani pergit per eamdem viam ad capellam S. Albani, è qua, factâ abſolutione pro Defunctis à D. Canonico reſpondente ut habetur ſupra pag. 116. proceditur ad Baſilicam S. Saturnini in qua fit ſtatio, habetur concio & celebratur Miſſa ſolemnis Rogationum; itaque poſt diſceſſum ſupra dicti Capituli & Religioſorum, duo Cantores ſolâ cottâ induti, ſtantes ad gradus Sanctuarii Altaris Parochiæ imponunt Antiphonam* Exurge, *&c. ut ſuprà pag. 176. quâ finitâ & dictâ Oratione, omnibus genuflexis incipiunt Litanias in cantu ſequenti quæ non duplicantur niſi ratione longioris itineris.*

## LITANIÆ MINORES;




Sancta Dei génitrix, ora pro nobis.
Sancta Virgo Vírginum, ora pro nobis.

Sancte Míchaël, ora pro nobis.
Sancte Gábriel, ora pro nobis.
Sancte Ráphaël, ora pro nobis.
Omnes ſancti Angeli, & Archángeli, oráte.
Omnes Sancti beatórum Spiríctuum órdines, oráte.
Sancte Joannes-Baptiſta, ora pro nobis.
Sancte Joſeph, ora pro nobis.
Omnes ſancti Patriarchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora pro nobis.
Sancte Paule, ora pro nobis.
Sancte Andréa, ora pro nobis.
Sancte Jacóbe, (*Zeb.*) ora pro nobis.
Sancte Joannes, ora pro nobis.
Sancte Thoma, ora pro nobis.
Sancte Jacóbe, ora pro nobis.
Sancte Philippe, ora pro nobis.
Sancte Bartholomæe, ora pro nobis.
Sancte Matthæe, ora pro nobis.
Sancte Simon, ora pro nobis.
Sancte Thadæe, ora pro nobis.
Sancte Matthía, ora pro nobis.
Sancte Bárnaba, ora pro nobis.
Sancte Marce, ora pro nobis.
Sancte Luca, ora pro nobis.
Omnes Sancti Apóſtoli & Evangeliſtæ, oráte.
Omnes ſancti Diſcípuli Dómini, oráte pro nobis.
Omnes Sancti Innocentes, oráte pro nobis.
Sancte Stéphane, ora pro nobis.
Sancte Clemens, ora pro nobis.
Sancte Fabiáne, ora pro nobis.
Sancte Saturníne, ora pro nobis.
Sancte Pápule, ora pro nobis.
Sancte Laurenti, ora pro nobis.
Sancte Antoníne, ora pro nobis.
Sancte Sebaſtiáne, ora pro nobis.
Sancte Pothíne cum ſóciis tuis, ora pro nobis.

Sancte Irenæe cum ſóciis tuis, ora pro nobis.
Sancte Dionyſi cum ſóciis tuis, ora pro nobis.
Sancte Maurici cum ſóciis tuis, ora pro nobis.
Sancti Cyrice & Julitta, oráte pro nobis.
Sancti Aſciſcle & Victória, oráte pro nobis.
Sancti Joannes & Paule, oráte pro nobis.
Sancti Coſma & Damiáne, oráte pro nobis.
Sancti Gerváſi & Protáſi, oráte pro nobis.
Sancte Georgi, ora pro nobis.
Sancte Eadmunde, ora pro nobis.
Sancte Felix, ora pro nobis.
Omnes Sancti Mártyres, oráte.
Sancte Sylveſter, ora pro nobis.
Sancte Leo, ora pro nobis.
Sancte Gregóri, ora pro nobis.
Sancte Ambróſi, ora pro nobis.
Sancte Auguſtíne, ora pro nobis.
Sancte Hierónime, ora pro nobis.
Sancte Athanáſi, ora pro nobis.
Sancte Baſíli, ora pro nobis.
Sancte Gregóri Nazianzéne, ora pro nobis.
Sancte Joannes Chryſóſtome, ora pro nobis.
Sancte Hilári, ora pro nobis.
Sancte Cæſári, ora pro nobis.
Sancte Honoráte, ora pro nobis.
Sancte Hilári, (*Toloſ.*) ora pro nobis.
Sancte Sylvi, ora pro nobis.
Sancte Exúperi, ora pro nobis.
Sancte Germéri, ora pro nobis.
Sancte Eremberte, ora pro nobis.
Sancte Ludovíce, (*Toloſ.*) ora pro nobis.
Sancte Nicoláë, ora pro nobis.
Sancte Remígi, ora pro nobis.
Sancte Sylvíne, ora pro nobis.
Sancte Aláne, ora pro nobis.
Sancte Bertrande, ora pro nobis.

Sancte Cárole, ora pro nobis.
Sancte Franciſce Saléſi, ora pro nobis.
Sancte Bernarde, ora pro nobis.
Sancte Thoma Aquínas, ora pro nobis.
Omnes Sancti Pontífices & Confeſſóres, oráte.
Omnes ſancti Doctóres, oráte pro nobis.
Sancte Honeſte, ora pro nobis.
Sancte Raymunde, ora pro nobis.
Sancte Antóni, ora pro nobis.
Sancte Benedicte, ora pro nobis.
Sancte Ægídi, ora pro nobis.
Sancte Odo, ora pro nobis.
Sancte Guillelme, ora pro nobis.
Sancte Gilberte, ora pro nobis.
Sancte Domínice, ora pro nobis.
Sancte Franciſce, ora pro nobis.
Sancte Ludovíce, ora pro nobis.
Sancte Roche, ora pro nobis.
Sancte Gauderíce, ora pro nobis.
Omnes ſancti Sacerdótes & Levítæ, oráte.
Omnes ſancti Mónachi & Eremítæ, oráte.
Sancta Anna, ora pro nobis.
Sancta María Magdaléne, ora pro nobis.
Sancta Thecla, ora pro nobis.
Sanctæ Perpétua & Felícitas, oráte pro nobis.
Sancta Agatha, ora pro nobis.
Sancta Lúcia, ora pro nobis.
Sancta Agnes, ora pro nobis.
Sancta Cæcília, ora pro nobis.
Sancta Catharína, ora pro nobis.
Sancta Anaſtáſia, ora pro nobis.
Sancta Camilla, ora pro nobis.
Sancta Genovéfa, ora pro nobis.
Sancta Clotildis, ora pro nobis.
Sancta Radegundis, ora pro nobis.
Sancta Bathildis, ora pro nobis.

Sancta Therésia, ora pro nobis.
Sancta María Ægyptia, ora pro nobis.
Omnes Sanctæ Vírgines & Víduæ, oráte.




Ab omni malo, líbera nos, Dómine.
Ab omni peccáto, líbera.
Ab ira tua, líbera.
A ſubitánea & improvíſa morte, líbera.
Ab inſídiis Diáboli, líbera nos, Dómine.
Ab immundis cogitatiónibus, líbera.
A Spíritu fornicatiónis, líbera.
Ab ira, & ódio, & omni mala voluntáte, líb.
A fúlgure & tempeſtáte, líbera.
A morte perpétua, líbera.
Per myſtérium ſanctæ incarnatiónis tuæ, líb.
Per Adventum tuum, líbera.
Per Nativitátem tuam, líbera.
Per Baptiſmum & ſanctum Jejúnium tuum, lí.
Per Crucem & Paſſiónem tuam, líbera.

Per mortem & ſepultúram tuam , líbera.
Per ſanctam reſurrectiónem tuam , líbera.
Per admirábilem Aſcenſiónem tuam , líbera.
Per Adventum Spíritûs ſancti paracléti, líbera.
In die judícii , líbera nos, Dómine.




Ut ad veram pœniténtiam nos perdúcere dignéris , te rogámus , audi nos.
Ut remiſſiónem peccatórum noſtrórum nobis dones , te rogámus , audi nos.
Ut compunctiónem cordis , fontemque lacrymárum nobis dones , te rogámus, audi nos.
Ut fidem , ſpem & caritátem nobis dones , te rogámus , audi nos.
Ut Eccléſiam tuam ſanctam régere & conſerváre dignéris , te rogámus , audi nos.
Ut Domnum Apoſtólicum & omnes gradus Eccléſiæ in ſancta religióne conſerváre dignéris , te rogámus , audi nos.
Ut Antíſtitem noſtrum , & omnes congregatiónes illi commiſſas , in tuo ſancto obſéquio conſerváre dignéris , te rogámus, audi nos.
Ut Regem noſtrum cuſtodíre dignéris , te rog.
Ut inimícos ſanctæ Eccléſiæ humiliáre dignéris , te rogámus , audi nos.
Ut Régibus & Princípibus Chriſtiánis pacem & veram concórdiam donáre dignéris , te rog.
Ut cuncto pópulo Chriſtiáno pacem & unitátem largíri dignéris , te rogámus , audi nos.
Ut noſmetipſos in tuo ſancto ſervítio confortáre & conſerváre dignéris , te rogámus.
Ut mentes noſtras ad cœléſtia deſidéria érigas , te rogámus , audi nos.

Ut ómnibus benefactóribus noſtris ſempiterna bona retríbuas, te rogámus, audi nos.

Ut ánimas noſtras, fratrum, propinquórum & benefactórum noſtrórum, ab æterna damnatióne erípias, te rogámus, audi nos.

Ut fructus terræ dare & conſerváre dignéris, te rogámus, audi nos.

Ut ómnibus fidélibus defunctis réquiem ætérnam donáre dignéris, te rogámus, audi nos.

Ut nos exaudíre dignéris, te rogámus, audi nos.

Fili Dei, te rogámus, audi nos.




Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exaudi nos, Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miſerére nobis.




*Celebrans dicit :* Pater noſter. *Reliqua ſecretò uſque ad* ℣. Et ne nos, *&c. quem Celebrans genuflexus altâ voce cantat cum aliis ſequentibus, reſpondente Choro genuflexo.*

℣.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem ;

℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Dómine non ſecundùm peccáta noſtra fácias nobis :

℟. Neque ſecundùm iniquitátes noſtras retríbuas nobis.

℣. Eſto nobis, Dómine, turris fortitúdinis,

℟. A fácie inimíci.

℣. Orémus pro ſummo Pontífice *N.*

℟. Det illi Dóminus aſſiſtrícem ſapiéntiam, ut diſpónat pópulum Dei juſtè.

℣. Pro Paſtóre noſtro *N.*

℟. Dóminus conſervet eum, & vivíficet eum.

℣. Pro Rege noſtro *N.*

℟. Dómine, ſalvum fac Regem ; & exaudi nos in die quâ invocavérimus te.

℣. Pro benefactóribus noſtris ;

℟. Deus ómnium grátiam abundáre fáciat in illis, & áugeat incrementa frugum juſtítiæ illórum.

℣. Pro cunctis fidélibus defunctis.

℟. Edúcat eos in lucem, & vídeant juſtítiame jus.

℣. Pro infirmis, afflictis, captívis, & peregrínis.

℟. Líbera eos, Deus, ex ómnibus tribulatiónibus ſuis.

℣. Pro frátribus noſtris abſéntibus.

℟. Bénefac, Dómine, bonis & rectis corde.

℣. Memor eſto congregatiónis tuæ,

℟. Quam poſſediſti ab inítio.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam ;

℟. Et clamor meus ad te véniat.

*Tunc Celebrans ſurgit, & ſtans dicit quæ ſequuntur.*

℣. Dóminus vobiſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DEus, cui próprium eſt miſeréri ſemper, & párcere: ſúſcipe deprecatiónem noſtram; ut nos, & omnes fámulos tuos quos delictórum caténa conſtringit, miſerátio tuæ pietátis clementer abſolvat.

EXaudi, quæſumus, Dómine, ſúpplicum preces, & confiténtium tibi parce peccátis; ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus & pacem.

INeffábilem nobis, Dómine, miſericórdiam tuam clementer oſtende; ut ſimul nos & à peccátis ómnibus éxuas, & à pœnis quas pro his merémur, erípias.

DEus, qui culpas delinquéntium diſtrictè feriendo pércutis, fletus quoque lugéntium non recúſas: quæſumus, ut qui pondus tuæ animadverſiónis cognóvimus, pietátis tuæ grátiam ſentiámus.

DEus, ómnium fidélium Paſtor & Rector, fámulum tuum *N.* quem Paſtórem Eccléſiæ tuæ præeſſe voluiſti, propítius réſpice; da ei, quæſumus, verbo & exemplo, quibus præeſt profícere; ut ad vitam unà cum grege ſibi crédito, perveniat ſempiternam.

OMnípotens, ſempiterne Deus, miſerére fámulo tuo Pontífici noſtro *N.* & dírige eum ſecundùm tuam cleméntiam in viam ſalútis æternæ; ut, te donante, tibi plácita cúpiat, & totâ virtúte perfíciat.

QUæſumus, omnípotens Deus, ut fámulus tuus Rex noſter *N.* qui tuâ miſeratióne ſuſcépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium percípiat incrementa; quibus decenter ornátus, vitiórum monſtra devitáre, hoſtes ſuperáre, & ad te qui via, véritas, & vita es, gratióſus váleat perveníre.

DEus, à quo ſancta deſidéria, recta consília, & juſta ſunt ópera: da ſervis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem; ut & corda noſtra mandátis tuis dédita, &, hóſium ſublátâ formídine, témpora ſint tuâ protectióne tranquilla.

URe igne ſancti Spíritûs renes noſtros & cor noſtrum, Dómine; ut tibi caſto córpore ſerviámus, & mundo corde placeámus.

ACtiónes noſtras, quæſumus, Dómine, aſpirando præveni, & adjuvando proſéquere; ut cuncta noſtra orátio & operátio à te ſemper incípiat, & per te cœpta finiátur.

FIdélium, Deus, ómnium Cónditor & Redemptor, animábus famulórum famularumque tuárum remiſſiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam ſemper optavérunt, piis ſupplicatiónibus conſequantur.

OMnípotens, ſempiterne Deus, qui vivórum domináris ſimul & mortuórum, omniumque miſeréris, quos tuos fide & ópere futúros eſſe prænoſcis: te ſúpplices exorámus, ut pro quibus effúndere preces decrévimus, quoſque vel præſens ſéculum adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore ſuſcépit, intercedéntibus ómnibus ſanctis tuis, pietátis tuæ cleméntiâ, ómnium delictórum ſuórum véniam conſequantur; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Dictis precibus, habetur concio, deindè poſt celebratam Miſſam ſolemnem Rogationum, & diſceſſum Religioſorum B. Mariæ Deauratæ, duo Cantores ad Pulpitum Epiſtolæ imponunt ſtantes Hymnum* Te Deum. *ut habetur ſupra in Feſto Inventionis S. Crucis; & revertitur proceſſio intrà urbem. Ad vicum vulgò* de la Pomme, *imponitur Hymnus* Nunc novis, *&c. ut notatur ſuprà pag. 200. Cui additur ſi opus ſit Hymnus,* Forti tegente bráchio, *&c. ut habetur ſuprà pag. 201. In platea verò S. Stephani imponitur ſemper Reſponſor.* Adduxérunt, *&c. ut ſuprà pag. 204. & decantatur ab utroque Choro procedendo ad Eccleſiam; verſus verò à ſolis Cantoribus. Finito Reſponſorio, imponitur pro Abſolutione faciendâ in Choro,* ℟. Líbera, *&c. ut ſuprà pag. 116, & ſic terminatur proceſſio.*

# FERIA III. ROGATIONUM.

HODIE *veniunt ut herì ad Eccleſiam Toloſanam Capitulum S. Saturnini, Religioſique B. Mariæ Deauratæ; iſtos cum exierint, Capitulum S. Stephani, impoſitâ Antiphona* Exurge. *ad Altare Parochiæ, inchoatiſque ibidem Litaniis, eas decantando ſequitur, procedendo per ſuburbium S. Stephani ad Eccleſias S. Salvatoris & S. Michaelis in quarum Cœmeteriis fit abſolutio pro Defunctis à D. Canonico reſpondente, ut herì in capella S. Albani.*

*Tranſeundo per Eccleſiam S. Michaelis, in qua nulla fit ſtatio, continuò cantatur* Sancte Michael, *donec exierint omnes. Pergit proceſſio intrà urbem, & revertitur ad Eccleſiam Toloſanam*

*in qua finitis Litaniis ante Altare Parochiæ ubì incœptæ ſunt, dicuntur preces à D. Canonico reſpondente. Deindè habitâ concione, celebratur Miſſa ſolemnis Rogationum à D. Canonico Hebdomadario, cui interſunt Capitulum S. Saturnini, & Religioſi B. M. Deauratæ. Finitâ Miſſâ, & poſt receſſum dicti Capituli, & Religioſorum, fit abſolutio pro Defunctis in Choro, ut herì, à D. Canonico reſpondente.*

# FERIA IV. ROGATIONUM.

HODIE *non accedit ad Eccleſiam Toloſanam Capitulum S. Saturnini; veniunt tamen Religioſi B. M. Deauratæ, ipſiſque præcedentibus, poſt decantatam Antiph.* Exurge. *incœptaſque Litanias ad Altare Parochiæ, ut herì & nudiuſtertius, fit proceſſio versùs ſuburbium S. Cypriani, fitque abſolutio pro Defunctis à D. Canonico reſpondente propè cœmeterium Noſocomii S. Jacobi ultrà pontem: continuatur proceſſio poſt abſolutionem, & procedens tranſit ante Eccleſiam Monialium S. Joannis & Eccleſiam S. Nicolai; & regrediens per pontis alterum latus venit ad Eccleſiam B. M. Deauratæ in qua finiuntur Litaniæ ante Altare majus, ibique dicuntur preces & Orationes à D. Canonico reſpondente. Deindè habetur concio, & poſteà celebratur Miſſa ſolemnis Rogationum, quâ finitâ, & poſt diſceſſum Capituli S. Saturnini imponitur à duobus cantoribus Hymnus* Te Deum, *&c. & omnia fiunt uſquè ad Eccleſiam Toloſanam, ut ſuprà Feriâ II. ad regreſſum proceſſionis.*

NOTA. *Si propter intemperiem aëris quædam*

*ex ſupradictis proceſſionibus more ſolito fieri non poſſit, tunc fit proceſſio intrà ſepta Ecclſiæ, ſcilicèt per circuitum clauſtri, Chori & navis Eccleſiæ; eademque ſervari debet Rubrica, quâdam ex iſtis proceſſionibus concurrente cum proceſſione generali diei decimæ ſeptimæ Maii; tunc proceſſio incipit & terminatur in Choro, Litaniæ non duplicantur, & fit abſolutio pro Defunctis in 2°. clauſtro in decurſu proceſſionis cui D. Canonicus celebraturus Miſſam adeſſe debet paratus cappâ violaceâ, dicitque in fine Litaniarum, medius inter Diaconum & Subdiaconum, & genuflexus ad gradus Altaris, preces & Orationes, quibus finitis dicitur in Choro Miſſa Rogationum Rituiali.*

*In Feſto S. Marci eadem ſervatur Rubrica, andò proceſſio ad extrà fieri non poteſt; omiſſâ nen Abſolutione quæ fit in ſecundo clauſtro, eâ quæ fit poſt Miſſam in Choro.*

# CAPUT IV.

# PROCESSIO GENERALIS

## *DIE XVII MAII,*

## FIERI SOLITA.

*EX voto fit ſingulis annis, Proceſſio generalis die decimâ-ſeptimâ menſis Maii in gratiarum actionem pro liberata Civitate ab Hæreticis, anno Domini milleſimo quingenteſimo-ſexageſimo-ſecundo.*

*Pridiè veſperè pulſantur campanæ pulſatione ſolemniori in ſignum lætitiæ, & Proceſſionis craſtinâ die faciendæ.*

*Huic Proceſſioni interſunt Capitulum S. Saturnini, Parochiæ omnes, cunctique Ordines Religioſi; hancque ſequuntur Senatus Toloſanus, Quæſtores Galliæ, Patres Academici, Seneſcalli Curia & Viri Conſulares.*

*Horâ ſeptimâ matutinâ cantantur Horæ (dicto pridiè poſt Veſperas matutino) & peracto Officio diei, horâ competenti, conveniunt in Eccleſiam Toloſ. Parochiæ omnes, cuncti Religioſi, & ultimo loco accedit Proceſſio Capituli S. Saturnini ad quam deferuntur in Baldachinis pleræque portatiles Capſæ Reliquiarum quæ in ejuſdem Capituli Eccleſia ſervantur, comitantibus illas Viris Capitolinis cum Præfectis & Centuria vigilum Capitolii.*

*Deponuntur Reliquiæ in Choro; Capſa verò*

*S. Spineæ in Sanctuario ejuſdem propè cancellos à latere Evangelii ; ibìque conſiſtunt Capitulum S. Saturnini cum Parochis , nempè in cornu Evangelii , & Religioſi B. Mariæ Deauratæ in cornu Epiſtolæ , remanentibus aliis Ordinibus Religioſis in Capellis in circuitu Chori.*

*Omnibus ſic diſpoſitis celebratur in Choro Miſſa votiva & ſolemnis de Spiritu Sancto cum* Gloria *&* Credo *& additur ſub una concluſione Oratio pro gratiarum actione. In vigilia & intrà Hebdomadam Pentecoſtes dicitur ſemper Miſſa de die. Huic Miſſæ adſunt dumtaxat duo Bordonerii , & in ea duæ conſecrantur Hoſtiæ.*

*Poſt elevationem SS. Sacramenti , ad juſſum D. Cantoris Majoris , exire incipiunt proceſſionaliter Peregrini S. Jacobi , quos ſequuntur Ordines Religioſi quiſque ordine ſuo.*

*Poſt Communionem , ſumptâque ablutione à Celebrante , & ad credentiam deportato Calice à Subdiacono , ponitur in medio Altaris à Diacono Oſtenſorium cum Hoſtia conſecrata , velo rubeo coopertum. Finitâ Miſſâ recedit Celebrans cum Miniſtris in Sacriſtiam.*

*Cùm exierint Religioſi B. Mariæ Deauratæ & Capitulum S. Saturnini , redit Celebrans è Sacriſtia cum Miniſtris ad Altare Chori , præcedentibus Cruce & ſex Bordoneriis Dalmaticis rubeis indutis , qui , dùm incenſatur SS. Sacramentum à Celebrante , imponunt hanc Strophem* O Salutáris , &c. , *ut notatur ſuprà , pag. 145 , quâ finitâ pulſantur Organa.*

*Interim ad portam majorem Chori expectant Octo Viri Capitolini cum Baldachino quod ab illis ad Proceſſionem defertur. Cùm autem Organa ceſſaverint , imponitur Hymnus* Pange lingua , &c. *ut notatur ſuprà , pag. 145.*

*Finito Hymno in ingreſſu vici, vulgò* ( de la Pomme ) *buccinatur in tubis & tibiis majoribus ter, quatervè, & alternatìm à tibicinibus Capitolii ; & versùs Eccleſiam S. Pantaleonis imponitur Hymnus ſequens, qui finitur ante Altare B. Mariæ Virgini dicatum in porticu interioris Capitolii, ubì fit Statio.*

*Hymnus, de 6.*




In mortem à Diſcípulo
Suis tradendus æmulis,
Priùs in vitæ férculo
Se trádidit diſcípulis ;
Quibus ſub bina ſpécie
Carnem dedit & ſánguinem ;
Ut dúplicis ſubſtántiæ
Totum cibáret hóminem.
Se naſcens dedit ſócium,
Conveſcens in ædúlium :
Se móriens in prétium,
Se regnans dat in præmium.

O ſalutáris hóſtia,
Quæ cœli pandis óſtium:
Bella premunt hoſtília;
Da robur, fer auxílium.
Qui carne nos paſcis tuâ,
Sit laus tibi, Paſtor bone,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In ſempiterna ſécula. Amen.

*Ad Altare Capitolii fit ſtatio, ibìque cantatur à Muſicis Antiphona* Regína cœli, &c., *quâ finitâ, dicuntur Verſiculi & Orationes ſequentes.*

℣. Circumdediſti me lætítiâ, Dómine.
℟. Ut cantet tibi glória mea.
℣. Civitátem iſtam cum ómnibus habitatóribus ſuis conſerváre dignéris.
℟. Te rogámus, audi nos.
℣. Dóminus vobíſcum,
℟. Et cum Spíritu tuo.

Orémus.

DEus, qui per Reſurrectiónem Fílii tui Dómini noſtri Jeſu Chriſti mundum lætificáre dignátus es: præſta, quæſumus, ut per ejus Genitrícem Vírginem Maríam, perpétuæ capiámus gáudia vitæ.

OMnípotens ſempiterne Deus, ædificátor & cuſtos Jeruſálem civitátis ſupernæ; ædífica & cuſtódi civitátem iſtam, cum habitatóribus ſuis: ut ſit in ea domicílium incolumitátis, ſtabilitátis & pacis; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Extrà tempus Paſchale non cantatur ad iſtam ſtationem Antiphona* Regína cœli. *ſed aliud Canticum in honorem B. Mariæ, & loco Verſûs* Circumdediſti, *& Orationis* Deus, qui per Reſurrectiónem, *dicitur Verſ.* Vultum tuum, &c.,

*& Oratio* Omnípotens ſempiterne Deus, qui glorióſæ vírginis, &c. *ſuprà pag. 141.*

*Factâ ſtatione, Bordonerii genuflexi, cum omnibus aliis, imponunt Hymnum* Veni Creátor, &c.; *ut habetur ſuprà pag. 121, & continuò decantatâ prima ſtrophe, ſurgunt omnes, & præcedente Cruce, pergit Proceſſio ad Eccleſiam S. Saturnini.*

*Hymno finito, non procul ab Eccleſia S. Saturnini, rurſùs buccinatur in tubis, tibiiſque majoribus ut ſuprà, & in ingreſſu dictæ Eccleſiæ, imponitur Hymnus ſequens, & finitur ad ſtationem.*

*Hymnus, de 1.*




Saturnínus adeſt, gentis Apóſtolus
Quo tandèm quid erit nómine dúlcius?
Hic nos tartáreis erípuit malis,
Hic nos, hic génuit Deo.

Illum turba frequens conſéquitur patrum,
Honorátus ei ſuffícitur; novum
Addis, ſancte ſenex, tu decus ínſulæ,
Magnis major honóribus.

Quas grates póterit réddere Hilário!
Urbs ô quas póterit réddere Sílvio!
His ſacros cíneres, pignus amábile
Debet témplaque Mártyris.

Paupertátis amans, Exúperi, tuas
Laudes concélebrant ágmina páuperũ.
Cultûs ſacrílegi rellíquias, fide
Fervens, Germérius fugat.

Clauſtro ſubríperis, te pia plebs vocat,
Eremberte; libens rédderis ótio.
Tollit te, Lódoix, mors cita, ſed manes
Scriptus córdibus intimis.

Laus qui Pontífices conſtítuit Patri:
Paſtórum cápiti laus quoque Fílio,
Qui fœcunda reples péctora præſulum
Sit pars laus tibi, Spíritus. Amen.

*Erigitur in Eccleſia S. Saturnini Altare in navi ante portam majorem Chori ſuper quod Celebrans reponit SS. Sacramentum, illudque incenſat; interìm cantatur à muſicis ejuſdem Eccleſiæ Canticum muſicum, quo finito dicitur à pueris Chori dictæ Eccleſiæ verſus ſequens, & à Celebrante Oratio ut infrà:*

℣. Fílii tui ſicut novellæ olivárum,
℟. In circúitu menſæ tuæ.
℣. Dóminus vobiſcum,
℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DEus, qui nobis ſub Sacramento mirábili paſſiónis tuæ memóriam reliquiſti; tríbue, quæſumus, ita nos córporis & ſánguinis tui ſacra myſtéria venerári, ut redemptiónis tuæ

fructum

fructum in nobis júgiter ſentiámus ; Qui vivis & regnas in ſécula ſeculórum. ℞. Amen.

*Poſt Orationem cantatur aliud Canticum à muſicis Eccleſiæ Toloſanæ, quo finito dicitur à pueris Chori ejuſdem Eccleſiæ Verſus ſequens, & à Celebrante Oratio ut infrà.*

℣. Mirábilis Deus in ſanctis ſuis :

℞. Deus Iſraël ipſe dabit virtútem & fortitúdinem plebi ſuæ.

℣. Dóminus vobiſcum,

℞. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

PRopitiáre nobis, quæſumus, Dómine, fámulis tuis, per ſanctórum tuórum, Jacóbi, Simónis & Judæ, Philippi & Jacóbi, Bárnabæ, Saturníni, Pápuli, Georgii, Ciríčii & Julittæ, Cláudii, Nicóſtrati, Symphoriáni, Caſtóris, Aſciſcli & Victóriæ, Simplícii, Exupérii, Hilárii, Sílvii, Honoráti, Ægídii, Gilberti, Æadmundi, Honeſti & Suſannæ, & aliórum ſanctórum quorum córpora & Relíquiæ in præſenti civitáte habentur, mérita glorióſa ; ut eórum piâ interceſſióne ab ómnibus protegámur adverſis; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℞. Amen.

*Finitâ Oratione Celebrans ſumit SS. Sacramentum, & cunctis ſtantibus Bordonerii imponunt Hymnum* Te Deum. *ut ſuprà pag. 195, poſt impoſitionem pulſantur Organa donec exierit proceſſio è Baſilica : Finito Hymno non procul à capella S. Geraldi, rursùs canitur ter, qua tervè & alternatim tubis tibiiſque majoribus ; poſteà cantantur Hymni,* Nunc novis Chriſtus, *&c.* Forti tegente bráchio, *&c. ut notantur ſuprà, pag. 208. Intrà Octavam Aſcenſionis, cantantur, loco Hymnorum præcedentium, Hymni,* Chriſte,

quem ſedes, *&c.* & Jeſu noſtra redemptio. *ut notantur ſuprà, pag. 102 & 103.*

*Intrà Octavam Pentecoſtes cantantur Hymni ſequentes.*

*Hymnus, de 1.*




His infída probas corda pavóribus,
Et peccáre vetas, aut prétium mori;
Verùm terríbiles quid párient minæ?
Quò tantus récidet tremor?
En fumantis adhuc montis ad ínfima
Plebs oblíta datam contínuò fidem,
Brutam pérfida plebs effígiem colit,
Veri Núminis in locum.
Heu! mens noſtra, Deus, te ſine nil poteſt:
Lucem prome animis; cordis ahéneam
Molli durítiem; redde, potes, Deus,
Voci nos dóciles tuæ.

Sit laus ſumma Patri, ſúmmaque Fílio;
Sit par, alme, tibi laus quoque, Spíritus,
Per quem legis amor córdibus ínſitus
Dat quod lex jubet éxequi. Amen.

*Additur Hymnus ſequens ſi opus ſit.*

*Hymnus, de 6.*




Proh! quanta meſſis prótinùs éxtitit!
Ter mille verbum concípiunt viri:
Deóque maturante, reddunt
Multíplicem, bona terra, fructum.
Compuncta paſsìm péctora flétibus
Mœrent amáris, atque piáculo
Ardent ſalutáris lavácri
Prætéritas abolére labes.
At non Hebræis limítibus ſacer
Hærébit ardor. Sol habitábiles

Quà luſtrat oras, hàc triumphis
Matéries patet ampla veſtris.
Jam mille divûm templa ſolo ruunt:
Cedit ſuperbæ vis ſapiéntiæ,
Cedunt tyranni: victa cedit
Carníficum rábies furentûm.
Novum potentis grátia Spíritûs
Creávit orbem: nos quoque, nos tuæ
Succendat ardor caritátis,
Alme Deus, renovetque totos.
Sit ſumma Patri, ſúmmaque Fílio;
Sit, ſancte, compar laus tibi, Spíritus;
Quo dura miteſcunt, novaſque
Concípiunt pia corda flammas. Amen.

*Si proceſſio fiat in Feſto SS. Trinitatis, loco Hymnorum præcedentium cantantur Hymni ſequentes:*

*Hymnus, de 6.*



Per denſa quæ te núbila ſépiunt,
  Si quandò ruptis fúlgura núbibus
  Emiſſa, Numen vix revélant:
  Luce micans nímiâ, lateſcis.
Humána mens, hìc alta Dei, pavens
  Miráre: lumen nî præeat fides,
  Cæcútis; & tunc diſſerendo
  Decípitur rátio ſuperba.
Hinc qui fidélis, fit puer ex fide,
  Et dogma menti ſúſcipit ínvium:
  Perſóna triplex, Numen unum;
  Hoc rátio ſtupet, hoc adórat.
Laus ſumma Patri, qui Génitum dedit
  Qui nos redémit, glória Fílio;
  Qui caritátis mittis ignes,
  Divus Amor, tibi laus per ævum. Amen.

*Si Hymnus præcedens non ſufficiat cantatur ſequens.*

*Hymnus, de 1.*




O ſancte ſanctórum Pater!
O Nate de Deo Deus!

O caritátis vínculum,
Jungens utrumque Spíritus!
Ut ſe videt totum Pater,
Coæva Proles náſcitur;
Amorque quo ſe díligunt,
Et ipſe procédit Deus.
Eſt totus in Nato Pater,
In Patre totus Fílius;
Natóque plenus ac Patre
Ineſt utríque Spíritus.
Quod natus eſt, hoc Spíritus;
Hoc eſt uterque quod Pater:
Tres una ſumma Véritas,
Tres una ſumma Cáritas.
Qui nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui caritáte nos foves,
Par ſit tibi laus, Spíritus. Amen.

*Poſt Hymnos SS. Trinitatis cantari poſſunt, ſi opus ſit, Hymni ut ſuprà intrà Octavam Pentecoſtes, pag. 230 & ſeq.*

*Ingrediente Capitulo Eccleſiam Toloſanam, pulſantur Organa donec ſuper Altare Parochiæ repoſitum & incenſatum fuerit SS. Sacramentum. Recedunt Bordonerii in Sacriſtiam Chori, remanentibus ceteris de Clero ad Altare genuflexis. Cantatur Canticum à muſicis, quo finito dicuntur à pueris Chori ℣℣℣. ſequentes & Orationes à Celebrante.*

℣. Edent páuperes, & laudábunt Dóminum:
℟. Vivent corda eórum in ſéculum ſéculi.
℣. Benedicámus Patrem & Fílium cum ſancto Spíritu;
℟. Laudémus & ſuperexaltémus eum in ſécula.
℣. Dómine ſalvum fac Regem noſtrum *N.*
℟. Et exaudi nos in die quâ invocavérimus te.

℣. Dóminus vobiſcum,
℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

FAc nos, quæſumus, Dómine, divinitátis tuæ ſempiternâ fruitióne repléri, quam pretióſi córporis & ſánguinis tui temporális percéptio præfigúrat.

DEus, cujus miſericórdiæ non eſt númerus, & bonitátis infínitus eſt theſaurus: piiſſimæ majeſtáti tuæ pro collátis donis grátias ágimus, tuam ſemper cleméntiam exorantes, ut qui peténtibus poſtuláta concédis; eoſdem non déſerens, ad præmia futúra diſpónas.

QUæſumus, omnípotens Deus, ut fámulus tuus *N.* Rex noſter, qui tuâ miſeratióne ſuſcépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium percípiat incrementa, quibus decenter ornátus, & vitiórum monſtra devitáre, hoſtes ſuperáre, & ad te, qui via, véritas & vita es, gratióſus váleat perveníre; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Poſteà datur Benedictio, & deindè dicuntur Veſperæ.*

# CAPUT V.

# *IN FESTO* CORPORIS CHRISTI.

*PRocessio ſolemnis quæ in hoc Feſto ubiquè fieri ſolet, juxtà conſuetudinem exit ab Eccleſia Toloſana, & tertio quoque anno ab Eccleſia Tauri; quid eo anno faciendum ſit, dicetur infrà ſuo loco.*

*Ducitur ſemper hæc proceſſio per vias, à Confraternitate SS. Sacramenti, à Capitulo Toloſano, & à viris Capitolinis primò aſſignatas, & poſtremò Senatûs decreto ſtatutas.*

*Ante Crucem Capituli, ad hanc proceſſionem, præcedunt octo ſervi DD. Archiepiſcopi faces magnas & accenſas geſtantes, quæ DD. Archiepiſcopi, aut ſede vacante, adminiſtratoris ſequeſtri ſumptibus ſemper ſuppeditantur. Præcedunt etiam omnes tibicines.*

*Huic proceſſioni interſunt Ordines Religioſi Civitatis, & viri Capitolini Baldachinum deferentes, cum præfectis centuriaque vigilum Capitolii; hancque ſequentes poſt Celebrantem incedunt Senatus Toloſanus, Quæſtores Galliæ, Patres Academici, Seneſcalli Curia, & Viri Conſulares.*

*Aliquantò ante proceſſionem præeunt aliquot Presbyteri è Confraternitate SS. Sacramenti, ut parietes viarum per quas tranſeundum eſt, ornari faciant picturis, aulæis, tapetibus, ſacriſ-*

*que imaginibus, & quod in his ornamentis obſcœnum & penitùs profanum viſum fuerit, amoveri curent.*

*Horâ ſeptimâ matutinâ ſemper cantantur Horæ (dicto pridiè poſt Veſperas Matutino,). Et cum exit proceſſio ab Eccleſia Toloſana, celebratur in Choro, horâ ſeſqui undecimâ, Miſſa ſolemnis de Feſto à D. Canonico Hebdomadario, in qua incenſantur perſonæ conſuetæ cum Bordoneriis, conſecrantur duæ Hoſtiæ, & datur pax.*

*Poſt communionem, ſumptâ ablutione à celebrante, & ad credentiam reportato Calice à Subdiacono, ponitur in medio Altaris à Diacono oſtenſorium cum Hoſtia conſecrata, velo rubeo coopertum; & perficitur Miſſa, ſervatis cœremoniis in Miſſa coram SS. Sacramento præſcriptis, quâ finitâ recedit Celebrans cum Miniſtris in Sacriſtiam.*

*Poſtquàm ad D. Cantoris juſſum proceſsêre Ordines Religioſi, præcedentibus, ut moris eſt, Peregrinis S. Jacobi, redit Celebrans caſulâ indutus è Sacriſtia cum Miniſtris ad Altare Chori, præcedentibus ſecundo Subdiacono portante Crucem, & ſex Bordoneriis cum dalmaticis rubeis, qui in infimo gradu Sanctuarii genuflexi, cum ceteris in Choro, imponunt* O ſalutáris Hóſtia, *&c. ut habetur ſuprà, pag. 145. quâ decantatâ ſtrophe, pulſantur organa, & cum ceſſaverint imponitur Hymnus,* Pange lingua, *&c. ut ſuprà, pag. 145. decantatâ primâ ſtrophe Hymni,* Pange lingua. *iterum pulſantur uſquè dùm exierit Proceſſio; tunc continuatur Hymnus & pergit Proceſſio viâ aſſignatâ ad Eccleſ. Tauri.*

*Dicto Hymno buccinatur in tubis tibiiſque majoribus ter quatervè & alternatìm; poſteà cantantur Hymni ſeq. uſque ad Eccleſ. Tauri.*

*Hymnus, de 1.*




Noctis recólitur Cœna novíſſima,
  Quâ Chriſtus créditur Agnum & ázyma
  Dediſſe frátribus, juxta legítima
    Priſcis indulta pátribus.
Poſt agnum typicum, Explétis épulis,
  Corpus Domínicum Datum diſcípulis,
  Sic totum ómnibus, Quod totum ſíngulis,
    Ejus fatémur mánibus.
Dedit fragílibus córporis férculum;
  Dedit & rríſtibus Sánguinis póculum,
  Dicens: Accípite Quod trado Váſculum,
    Omnes ex eo bíbite.
Sic Sacrifícium iſtud inſtítuit,
  Cujus offícium committi vóluit
  Solis Presbyteris, Quibus ſic cóngruit,
    Ut ſumant, & dent céteris.

Panis angélicus Fit panis hóminum :
Dat panis cœlicus Figúris términum :
O res mirábilis ! Mandúcat Dóminum
Pauper , ſervus , & húmilis.
Te trina Déitas , Unaque póſcimus ,
Sic nos tu víſita , ſicut te cólimus :
Per tuas ſémitas Duc nos quò téndimus ,
Ad lucem quam inhábitas. Amen.

*Deindè dicitur ,* Verbum ſupernum , &c. *ut ſuprà , pag. 225.*

*Hymnus ſequens dicitur ſub cantu* Pange lingua , *vel ſub cantu ſequenti.*

*Hymnus , de 5.*




Te tuis offers ſub aris
Incruento fúnere ;

Noſtra, vel te glorióſum,
Heu! cruentant crímina,
Júdicem te, te Patrónum,
In dies lacéſſimus.

Sacra ſic-nè tam nocentes
Ambiunt altária?
Quam tremiſcunt intuendo
Purióres Spíritus,
Suſtinébunt inquináti
Núminis præſéntiam?

Morte victâ, qui triumphas,
Cógimus rursùs mori:
Morte placaſti parentem,
Illa mors nil próderit?
Vana ſunt an ſic amóris
Sempiterna pígnora?

Tolle vela, rumpe nubem,
Ore nudo pródeas:
Temperáto tu benignus
Vis latére Número.
Nî premas, nos fulguranti
Enecáres lúmine.

Nube denſâ delitentem,
Da fide te cérnere,
Sole puro puriórem
Ore puro pángere:
Da ſimul nos immolári
Immolátæ víctimæ.

Laus ſupréma ſit Parenti,
Qui creávit ómnia;
Filióque, qui redémit
Morte nos volens ſuâ;
Par & illi, cujus almo
Recreámur hálitu. Amen.

*Hymnus*

*Hymnus, de 6.*




Vitam cruentus qui ſemel óbtulit
  Se non cruentum júgiter ímmolat :
  Mactátus aris , & renaſcens
  Perpétuò , moriendo vivit.
Ad grande munus nos Déus érigit ,
  Quos ungit intùs Sacríficos ſibi ;
  Pondus cadúci ſuſtinémus
  Angélicis húmeris tremendum.
O quàm ſtupendæ , quas ágimus vices !
  Quem prona cœli Cúria ſúſpicit ,
  Sacras ad aras imperantes
  Nos dócilis Deus ipſe ſentit.
Chriſtum , Sacerdos , cœlitùs évocas ;
  Per te creátur , qui creat ómnia ;
  Immótus orbem qui gubernat ,
  Se tibi dat fácilem movéri.
Non impotenti , críminis árbiter ,
  Verbo reſólvis férrea víncula :
  Quas fers magiſtrâ voce , Numen
  Ecce ſibi putat eſſe leges.

Laus ſumma Patri, ſúmmaque Fílio;
Sit, ſancte, compar laus tibi, Spíritus,
Quo Chriſtus aris per Miniſtros
Hóſtia ſtat ſimul & Sacerdos. Amen.

*Sequens Hymnus dici poteſt ſub cantu Hymni præcedentis, vel ſub cantu ſeq.*

*Hymnus, de 2. in A.*




Adeſte, Gentes: fulmíneum jubar,
Velante ſigno próvidus óculit:
Veníte; nunc ſacros amóris
Totus amor jaculátur ignes.
An ulla quondàm tam fácili Deo
Potíta gens eſt? dícite, ſécula;
Quà ſole mundus claret orto,
Quàque tepet fugiente, dicat.

O gente quavis nátio grándior,
Carumque cœlo, Chriſtíadæ, genus,
Illamnè, quâ nos Chriſtus arſit,
Uſque ádeò caluiſſe flammam!
Devóta Patri Fílius hóſtia
Mox offerendus, ſe priùs óbtulit;
Et, quâ litáret funerátus,
Nos dócuit reparáre vitam.
Aris renaſcens nómine dúplici,
Verus Sacerdos, véraque víctima,
Oblátus offert, & cruórem
Ipſe ſuum ſine cæde fundit.
Laus ſumma Patri, ſúmmaque Fílio,
Qui ſe Sacerdos, ímmolat hóſtiam:
Quo ſacra flammis ardet ara,
Spíritus, & tibi laus in ævum. Amen.

## AD ECCLESIAM STATIONIS.

*Quandò Proceſſio exit ab Eccleſia Toloſana Statio fit in Eccleſia Tauri; quandò verò ab Eccleſia Tauri, Statio fit in Eccleſia Toloſana: itaque cùm pervenerit Proceſſio ad Eccleſiam Stationis, repoſito ſuper Altare & incenſato SS. Sacramento, omnibuſque in Sanctuario ejuſdem genuflexis, hinc & indè diſpoſitis, cantatur ibidem canticum à muſicis, quo finito dicitur à pueris Chori* ℣. *ſequens, & Oratio à Celebrante.*

℣. Fílii tui ſicut novellæ olivárum.
℟. In circúitu menſæ tuæ.
℣. Dóminus vobiſcum,
℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DEus, qui nobis ſub Sacramento mirábili paſſiónis tuæ memóriam reliquiſti; tríbue,

quæſumus, ita nos córporis & ſánguinis tui ſacra myſtéria venerári, ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter ſentiámus; Qui vivis & regnas in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

*Poſt Orationem, Bordonerii imponunt, omnibus ſtantibus, Hymnum* Te Deum, &c. *ut habetur ſuprà, pag. 195. quo finito, buccinatur ter, quatervè & alternis vicibus in tubis, tibiiſque majoribus; deindè cantantur quidam ex Hymnis præcedentibus ſi omnes adhibiti non fuerint, vel quidam ex ſequentibus, donec per-ntum ſit ad Eccleſiam ubi terminatur Proceſſio.*

*equens Hymnus dici poteſt ſub cantu,* Pange lingua. *vel ſub cantu ſeq.*



Qualis iſta fraus amóris,
Ut reis indúlgeas!
Non vides, ſentis, nec audis,
Et manes immóbilis:
Talis aſtris imperantem
An decet ſtatus Deum!
Non, ut olìm monte ſancto,
Hìc, Deus, nos térritas,
Inter ignes non mináris;
Hìc amas mitéſcere:
Quàm bonus prudenſque celas
Hìc tuam præſéntiam!
Páuperes nos, nos puſillos,
Nos ab aſtris éxules,
Ut redúcas nos Olympo,
Noſque reddas dívites;
Ipſe factus es puſillus,
Pauper, exul, índigens.
Ventre natum virgináli
Corpus olìm ſúmpſeras;
Hoc Deo plenum redónas
Amplióri fœnore:
Ter, quater, nos ô beáti
Tanta per commércia!
Menſa qualis hìc parátur,
Si quis intùs éſurit!
Aſſides convíva nobis,
Ipſe tu convívium;
Fons ſalútis, ſi quis æger;
Si flet, hìc ſolátium.
Summa laus Deo Parenti,
Qui creávit ómnia;
Fílio, qui nos redémit
Póntifex & víctima;
Flámini, cujus ſuperno
Confovémur hálitu. Amen.

*Hymnus ſequens dici poteſt ſub cantu Hymni præcedentis , vel Hymni ,* Nate, qui Deo parenti , *&c. ut ſuprà , pag.* 239. *vel ſub cantu ſequenti.*

*Hymnus , de 2.*




Quam vetus ſignábat umbra ,
Clara lucet véritas :
Póntifex novus ſecundùm
Ordinem Melchíſedech
Dat ſuum ſub pane Corpus ,
Subque vino Sánguinem.
Quo creáta cuncta verbo
Mira fit mutátio :
Panis in carnem , merumque
In cruórem vértitur :
Déficit ſenſus , ſed alta
Róborat mentem fides.

Qui ſemel Patri cruentam
Obtulit ſe víctimam ;
Síngulis idem diébus
Per Miniſtrórum manus,
Ritè noſtris incruentus
Sed ſub aris ímmolat.
Ipſa quin aſtans ſacrátis
Sancta plebs altáribus,
Máximo Chriſtum parenti
Seque cum Chriſto litat :
Carne poſthac, quam litávit
Et cruóre páſcitur.
Summa laus Deo parenti,
Qui creávit ómnia ;
Fílio, qui nos redémit
Póntifex & víctima ;
Flámini, cujus ſuperno
Confovémur hálitu. Amen.

*Ingrediente Capitulo Eccleſiam, pulſantur organa uſquè dùm ſuper Altare Parochiæ repoſitum & incenſatum fuerit SS. Sacramentum. Recedunt Bordonerii in Sacriſtiam Chori, remanentibus aliis in Sanctuario vel Sacriſtia Parochiæ genuflexis. Cantatur Canticum à muſicis; quo finito dicitur à Pueris Chori ℣. ſeq. & Oratio à Celebrante.*

℣. Edent páuperes & laudábunt Dóminum:
℟. Vivent corda eórum in ſéculum ſéculi.
℣. Dóminus vobiſcum,
℟. Et cum ſpirítu tuo.

Orémus.

FAc nos, quæſumus, Dómine, divinitátis tuæ ſempiternâ fruitióne repléri, quam

pretióſi Córporis & Sánguinis tui temporális percéptio præfigúrat ; Qui vivis & regnas in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

*Datá benedictione more ſolito, exponitur SS. Sacramentum, & deindè poſt habitam concionem dicuntur Veſperæ & Completorium ; quibus peractis, iterum fit Proceſſio per circuitum Chori; quid ad hanc Proceſſionem agendum ſit, vide ſuprà,* Parte I, *pag. 152. ibi de Proceſſionibus intrà Octavam Corporis Chriſti fieri ſolitis.*

# CAPUT VI.

## *DE PROCESSIONE*

## SS. SACRAMENTI,

## *QUANDO EXIT*

## AB ECCLESIA TAURI.

*NUlla Miſſa celebratur in Choro quandò Proceſſio exit ab Eccleſia Tauri, ſed horâ ſeptimâ matutinâ cantantur horæ. Per campanas verò datur ſignum Proceſſionis horâ undecimâ, & conveniunt omnes in Eccleſiam Toloſanam, omnibuſque paratis, veniunt ſex Bordonerii ante Altare Parochiæ ubì genuflexi cum omnibus aliis in Navi, imponunt Hymnum,* Veni, Creátor, *&c. ut ſuprà, pag. 121. & nihil aliud cantatur in via, & pergitur viâ breviori ad dictam Eccleſiam Tauri, quò ubi ventum eſt celebratur Miſſa ſolemnis à D. Canonico Hebdomadario, ſed ſine Bordoneriis, conſiſtentibus in Sanctuario Cantoribus & Muſicis, aliis verò de Capitulo in Navi in duas lineas diviſis. In hac Miſſa nemo incenſatur præter celebrantem, neque pax defertur; quâ finitâ recedit Celebrans in Sacriſtiam cum Miniſtris, & poſtquam diceſſerint Ordines Religioſi, redit Celebrans cum Miniſtris, præcedentibus Cruce & ſex Bordoneriis ad Altare; ibique dùm incenſatur SS. Sacramentum cantatur* O Salutáris hóſtia. *deindè* Pange lingua, *&c.*

Sacris Solemniis, *&c. ceteraque quæ notantur ſuprà pro hac Proceſſione quandò exit ab Eccleſ. Toloſana.*

*Procedit Proceſſio per vias aſſignatas ad Eccleſiam Toloſanam, ubì, (præter alias ſtationes quæ aliquandò in decurſu Proceſſionis fiunt ad quædam altaria pietate civium erecta, & de quibus infrà,) fit ſtatio ad Altare Parochiæ, ibique cantatur Canticum à muſicis, quo finito dicitur* ℣. Fílii tui. *& Oratio* Deus, qui nobis, *&c. ut ſuprà ad Eccleſiam ſtationis, p. 243.*

*Dictâ Oratione imponitur Hymnus* Te Deum. *ut ſuprà, p. 195. Poſt cujus impoſitionem pulſantur organa uſquè dùm exierint Ordines Religioſi quos ſequitur Capitulum revertendo ad Eccleſiam Tauri: Hymno finito canitur tubis tibiiſque majoribus, ut dictum eſt ſuprà, pag. 154, & poſteà cantantur Hymni ibidem notati donec pervenerit Proceſſio ad Eccleſiam Tauri in qua cantatur Canticum à muſicis quo finito dicitur à pueri Chori* ℣. Edent. *& Oratio* Fac nos. *ut ſuprà, pag. 247. datur benedictio; & ibi terminatur Proceſſio.*

*Datâ benedictione exponitur SS. Sacramentum, & diſcedunt Ordines Religioſi: Interim recedit ſe Celebrans cum Miniſtris in Sacriſtiam ad deponenda ornamenta ſacra; ibique ſi Proceſſionaliter ad Eccleſiam Toloſanam redituri ſunt, quod decet, cottâ ſe induunt, & poſt diſceſſum religioſorum redeunt è Sacriſtiâ Bordonerii ad Altare, ibique cunctis de Clero genuflexis, imponunt Hymnum* Ave maris ſtella, &c. *ut notatur ſuprà, pag. 155, poſt primam ſtrophen ſurgunt omnes, & recedit Capitulum in Eccleſiam ſuam. Finito Hymno cantantur alii Hymni de B. M., ut habentur infrà, uſquè ad*

*Eccleſiam Toloſanam, & nihil aliud cantatur, ſed habitâ concione dicuntur Veſperæ, & poſt Completorium fit iterum Proceſſio per circuitum Chori, quid in ea ſit dicendum, vide ſuprà in Parte prima, pag. 152. Ubì de Proceſſionibus intrà Octavam Corporis Chriſti fieri ſolitis intrà Eccleſiam, agitur.*

*Hymnus, de 5.*




Tu cum Virgíneo mater honóre
Cœlórum Dómino péctoris aulam
Sacris viſcéribus caſta dediſti:
Humános Deus hinc induit artus.

Quem cunctus vénerans orbis adórat,
Cui nunc ritè genu fléctitur omne;
A quo, te précibus ſubveniente;
Æterni pétimus gáudia regni.

Divínæ Sóboli qui dare matrem
In terris vóluit, glória Patri:
Cujus Virgo parens, glória Nato:
Quo fœcunda, tibi glória, Flamen.
Amen.

*Si addatur ſequens Hymnus, omittitur Doxologia præcedentis, & continuatur idem cantus de 5. ſine nova impoſitione.*

NUnc auróra, novæ núntia lucis,
Triſtes orbe procùl díſſipat umbras.
O quàm lucídior, nocte ſepultis
Portans ipſa diem, Virgo, refulges!
O quæ nunc hábitas lúcida regna,
Mittas indè tuæ múnera lucis:
Te ſi terra dedit munus Olympo,
Quæ non dona memor reddet Olympus?
Inter perpétuos Núminis hauſtus,
O Regína, tibi ſánguine junctum
Ne dediſce genus: noſtra fuiſti,
Summi facta parens, Virgo, Tonantis.
Divínæ Sóboli qui dare matrem
In terris vóluit, glória Patri:
Cujus Virgo parens, glória Nato:
Quo fœcunda, tibi glória, Flamen.
Amen.

# DE STATIONIBUS

## *IN DECURSU PROCESSIONIS*

## SS. SACRAMENTI.

*SI in decurſu Proceſſionis occurrant quædam altaria, quæ decentiſſimè cum luminibus, & pretioſis ornamentis, & mappâ mundâ contegantur, Celebrans, juxta conſuetudinem, in illis Altaribus paratis, deponit SS. Sacramentum; ibi autem Diaconus genuflexus, à Celebrante ſtante accipit SS. Sacramentum, & reponit ſuper corporale priùs explicatum, deindè Miniſtrat Celebranti incenſum de more, qui genuflexus triplici ductu incenſat SS. Sacramentum. Interim cantatur una ex Antiphonis quæ infrà habentur pro qualibet ſtatione. Finitâ Antiph. dicitur* ℣. *à pueris Chori, & Oratio, à Celebrante, cuilibet ſtationi aſſignata : poſt Orationem continuatur Proceſſio & non datur Benedictio; norunt enim omnes non dari benedictionem in Eccleſia ſtationis, ſed tantùm in fine Proceſſionis; ſed hoc judicio Superiorum ſubjicimus.*

*Proceſſio tamen ſtare non debet ad omnia Altaria quæ occurrere poſſunt; frequentes enim ſtationes importunæ eſſe videntur, & ſæpiſſimè pervertunt ordinem Proceſſionis.*

## AD I. STATIONEM.

*Antiph. de 1.*




℣. Cor meum & caro mea,

℟. Exultavérunt in Deum vivum.

Orémus.

DEus, qui inæſtimábili caritáte, nobiſcum ſub hoc Sacramenti velámine habitáre voluiſti; da fidélibus tuis abſcónditam divinitátis tuæ majeſtátem firmâ fide intuéri, & per hæc públicæ veneratiónis offícia percípere religiónis augmentum; Qui vivis & regnas Deus. ℟. Amen.

## AD II. STATIONEM.

*Antiph. de 5.*




℣. Afferte Dómino glóriam nómini ejus :
℟. Adoráte Dóminum in átrio ſancto ejus.

Orémus.

DA nobis, quæſumus, omnípotens Deus, Agnum qui pro nobis occíſus eſt, in Sacramento latentem dignis láudibus celebráre; ut eumdem in glória manifeſtum contemplári mereámur; Qui tecum vivit & regnat Deus. ℟. Amen.

## AD III. STATIONEM.

*Antiph. de 6.*




℣. Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea.

℟. Et lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Orémus.

Deus, qui nobis panem de cœlo verum dediſti, ut ſi quis ex ipſo manducáverit, non moriátur: præſta, quæſumus, ut ſpirituális alimenti virtúte, & ánima ſemper in te vivat, & corpus in noviſſimo die glorióſum reſurgat; Per eumdem Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

# CAPUT VII.

## PROCESSIONES MINORES,

## *POST OCTAVAM*

## SS. CORPORIS CHRISTI,

## FIERI SOLITÆ.

*IN qualibet Feria IV. poſt Octavam SS. Corporis Chriſti, fit Proceſſio ab Eccleſia Toloſana ad Eccleſias & Capellas inferiùs deſcriptas, uſquè ad Feſtum Inventionis S. Stephani, pro frugibus terræ à Domino impetrandis.*

*A Feria quarta poſt Octavam Corporis Chriſti uſquè ad Feſtum Inventionis S. Stephani, poſſunt, ad ſummum, eſſe novem Hebdomadæ, Paſchâ ſcilicèt adveniente die* xxij *Martii; tunc verò fieri deberent novem ſtationes; ſed quia die* xxij. *Julii tunc occurrit Feria quarta, & eâdem die fit Proceſſio circà clauſtrum propter obitum, & omittuntur, ut videbitur infrà, iſtæ Proceſſiones concurrentes cum alia Proceſſione; fiunt, licèt ſint novem Hebdomadæ, octo dumtaxat ſtationes in ordine & ad loca infrà aſſignata.*

*Prima fit ad Capellam S. Salvatoris, in ſuburbio S. Stephani.*

*Secunda, ad Eccleſiam S. Georgii.*

*Tertia, ad Capellam Pœnitentium SS. Nominis Jeſu.*

*Quarta, ad Capellam Pœnitentium S. Crucis.*

*Quinta, ad Capellam Pœnitentium S. Hyeronimi.*

*Sexta, ad Eccleſiam S. Antonii Viennenſis.*

*Septima, ad Eccleſiam Monialium S. Pantaleonis.*

*Octava & ſemper ultima, ad Eccleſiam S. Auguſtini.*

*Si tot Hebdomadæ non ſint quot hìc aſſignantur ſtationes, ita ut omnes fieri non poſſint; primæ fiunt ordine ſuprà ſcripto, & ultima ſemper fit ad Eccleſiam S. Auguſtini, & quæ ſuperſunt, eo anno omitti debent.*

*Non fiunt autem iſtæ Proceſſiones diebus feſtivis, nec in Feſtis S. Jacobi & S. Annæ, neque diebus quibus fit Proceſſio ante Miſſam propter obitum, nec quandò poſt ultimam Horam quæ ſequitur Miſſam Conventualem, cantatur alia Miſſa quacumque de cauſa, omittuntur etiam quandò fiunt exequiæ in Choro, ſivè poſt Miſſam Conventualem ſivè poſt Veſperas, & quotieſcumque fit quædam alia Proceſſio intrà vel extrà Eccleſiam, exceptâ tamen eâ quæ quotidiè fit poſt Veſperas ad Altare Parochiæ.*

*Si verò propter tempus pluviâ infeſtum aliudvè impedimentum quædam ex iſtis Proceſſionibus ad extrà fieri non poſſit, tunc fit, ut in quotidianis circa clauſtrum, & eo anno omittitur ſtatio occurrens.*

*Iſta autem Proceſſio omittitur ultimâ Feriâ IV ante Feſtum Inventionis S. Stephani, quandò ſcilicèt advenit Feſtum Feriâ quintâ ſequenti, vel Feriâ ſextâ, aut Sabbato, vel etiam die Dominicâ.*

*Celebratâ Miſſâ Defunctorum poſt Primam in Feria quarta, non fit Abſolutio pro Defunctis, ſed tantùm poſt reditum Proceſſionis, finitis in Choro Litaniis. Nulla autem fit abſolutio quandò Proceſſionem nulla præceſſit Miſſa Defunctorum; ſic autem ſtatutum fuit à Venerabili Capitulo die decimâ-nonâ Julii anni milleſimi ſeptingenteſimi quinquageſimi.*

*Fiunt autem iſtæ Proceſſiones poſt Tertiam ſi Miſſa conventualis dicatur poſt Sextam: ſecùs verò fiunt poſt Primam ſi Miſſa dicenda ſit poſt Tertiam.*

---

## PRIMA PROCESSIO.

*PRIMA Proceſſio fit ad Eccleſiam S. Salvatoris. Poſt Primam vel Tertiam, accedunt duo Choriſtæ ad Pulpitum majus, ibique genuflexi, ſicut omnes alii de Choro in locis ſuis, imponunt Hymnum* Veni, Creátor, &c. *ut habetur ſuprà, pag. 121. Finitâ primâ ſtrophe, ſurgunt omnes, & præcedente Cruce, proceditur ad Eccleſiam ſtationis. Poſt Hymnum præcedentem ſemper decantatur Hymnus* Ave, maris ſtella, &c. *ut habetur ſuprà, pag. 155. & finitur in Eccleſia ſtationis ante Altare. Quo finito dicuntur à pueris Chori, omnibus genuflexis, Verſus ſequentes & Orationes à D. Canonico reſpondente.*

℣. Emittes Spíritum tuum, & creabuntur,
℟. Et renovábis fáciem terræ.

*D. Canonicus reſpondens, ſumptâ priùs ſtolâ ſuper genuflexorium præparatâ, ſtans dicit:*

℣. Dóminus vobiſcum,
℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DEus, qui corda fidélium ſancti Spíritûs illuſtratióne docuiſti: da nobis in eódem Spíritu recta ſápere, & de ejus ſemper conſolatióne gaudére; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Finita Oratione Cantores imponunt Antiph. ſequentem.*

*Antiph. de 6.*




℣. Tu es Deus qui mandas ſalútes Jacob;
℟. Salvaſti enim nos de affligéntibus nos.
℣. Deus operátus eſt ſalútem in médio terræ:
℟. Tu confregiſti cápita dracónis.
℣. Non privábis bonis eos qui ámbulant in innocéntia:
℟. Dómine virtútum beátus homo qui ſperat in te.

℣. Dóminus vobiſcum,
℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

OMnípotens, ſempiterne Deus, qui humáno géneri, ad imitandum humilitátis exemplum, Salvatórem noſtrum carnem ſúmere, & Crucem ſubíre feciſti; concéde propítius, ut & patiéntiæ ipsíus habére documenta, & reſurrectiónis conſórtia mereámur.

COncéde nos fámulos tuos, quæſumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis & córporis ſanitáte gaudére; & glorióſâ beátæ Maríæ ſemper Vírginis interceſſióne, à præſenti liberári triſtítia, & æternâ pérfrui lætítiâ.

A Domo tua, quæſumus, Dómine, ſpirituáles nequítiæ repellantur; & aereárum diſcédat malígnitas tempeſtátum; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Finitis Orationibus Cantores incipiunt Litanias SS. in cantu Rogationum ut ſuprà, pag. 210, & cantantur in reditu Proceſſionis, & terminantur in Choro ſinè precibus, ſtatimque fit Abſolutio pro Defunctis vel dicitur Hora quæ debet præcedere Miſſam ſi facienda non ſit Abſolutio, ut notatur ſuprà, & ſic in aliis Proceſſionibus.*

✝

## SECUNDA PROCESSIO.

Fit Statio in Eccleſia S. Georgii,

*Eundo cantatur* Veni, Creátor, &c. Ave maris, &c. *& finitis Hymnis, dicitur in Eccleſia ante Altare*, ℣. Emittes, &c. *& Oratio*, Deus, qui corda fidélium, &c. *ut ſuprà in prima Proceſſione, & ſic fit in omnibus aliis Proceſſionibus, uſquè ad Antiph. cuilibet ſtationi aſſignatam.*

*Antiph. de 7.*






℣. Ora pro nobis, ſancta Dei Génitrix

℟. Ut digni efficiámur promiſſiónibus Chriſti.

℣. Dómine ſalvum fac Regem noſtrum *N.*

℟. Et exaudi nos in die quâ invocavérimus te.

℣. Non privábis bonis eos qui ámbulant in innocéntia.

℟. Dómine virtútum beátus homo qui ſperat in te.

℣. Dóminus vobiſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

PRótege, Dómine, fámulos tuos ſubſídiis pacis; & beátæ Maríæ ſemper Vírginis patrocíniis confidentes, à cunctis hóſtibus & perículis redde ſecúros.

Quæſumus, omnípotens Deus, &c. *ſuprà, pag. 187.*

A Domo tua, &c. *ſuprà, pag. 261.*

*Finitis Orationibus cetera fiunt ut in præcedenti Proceſſione.*

# TERTIA PROCESSIO.

Fit Statio ad Capellam Pœnitentium SS. Nominis Jeſu.

*Omnia fiunt uſquè ad Antiphonam ſequentem ut in præcedentibus Proceſſionibus.*

*Antiph. de 7.*




℣. Afferte Dómino glóriam & honórem:
℟. Afferte Dómino glóriam nómini ejus.
℣. Deus operátus eſt ſalútem in médio terræ.
℟. Tu confregiſti cápita dracónis.
℣. Non privábis bonis eos qui ámbulant in innocéntia.
℟. Dómine virtútum, beátus homo qui ſperat in te.

℣. Dóminus vobiſcum,
℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DEus, qui pro nobis homo factus, circumcídi, & Salvatóris nomen accípere voluiſti: concéde propítius, ut carnis renuntiantes opéribus, ſalútis æternæ præmium per invocatiónem ſancti tui nóminis conſequámur.

Concéde, &c. } *ſuprà, pag. 261. Cetera ut*
A domo tua, &c. } *ibidem.*

# QUARTA PROCESSIO.

Fit Statio ad Capellam Pœnitentium S. Crucis.

*Eundo cantantur iidem Hymni ac in præcedentibus Proceſſionibus , & in Capella ante Altare* ℣. Emittes. *& Oratio* , Deus , qui corda, *&c. ut ſuprà. Deindè cantatur ſequens Antiph.*




℣. Omnis terra adóret te , & pſallat tibi :
℟. Pſalmum dicat nómini tuo , Dómine.

℣. Deus operátus eſt ſalútem in médio terræ.

℟. Tu confregíſti cápita dracónis.

℣. Non privábis bonis eos qui ámbulant in innocéntia :

℟. Dómine virtútum, beátus homo qui ſperat in te.

℣. Dóminus vobiſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DEus, qui pro nobis Fílium tuum Crucis patíbulum ſubíre voluiſti, ut inimíci à nobis expélleres poteſtátem ; concéde nobis fámulis tuis, ut reſurrectiónis grátiam conſequámur.

Concéde, &c. }
A domo tua, &c. } *ſuprà, pag. 261. Cetera ut ibidem.*

# QUINTA PROCESSIO.

Statio fit ad Capellam Pœnitentium S. Hieronymi.

*Eundo cuncta fiunt ut in præcedenti Proceſſione uſquè ad Antiphonam ſeq.*




℣. Beátus vir qui diſpónet ſermónes ſuos in jndicio.

℟. In æternum non commovébitur.

℣. Deus operátus eſt ſalútem in médio terræ.

℟. Tu confregiſti cápita dracónis.

℣. Non privábis bonis eos qui ámbulant in innocéntia :

℟. Dómine virtútum beátus homo qui ſperat in te.

℣. Dóminus vobiſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DEus, qui Eccléſiæ tuæ in exponendis ſacris Scriptúris beátum Hierónymum Doctórem máximum providére dignátus es : præſta, quæſumus, ut ejus ſuffragántibus méritis, ſint nobis ſemper caſtæ delíciæ noſtræ Scriptúræ tuæ, & in ipſis inveniámus fídei, ſpei & caritátis alimentum.

Concéde, &c. } *ſuprà, pag.* 261. *Cetera*
A domo tua, &c. } *ut ibidem.*

## SEXTA PROCESSIO.

Statio fit ad Eccleſiam S. Antonii Viennenſis.

*Eundo cuncta fiunt ut ſuprà in aliis Proceſſionibus uſquè ad Antiph. ſequentem.*

*Antiph. de 1.*



℣. Juſtus ut palma florébit :
℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.
℣. Deus operátus eſt ſalútem in médio terræ :
℟. Tu confregiſti cápita dracónis.
℣. Non privábis bonis eos qui ámbulant in innocéntia :
℟. Dómine virtútum beátus homo qui ſperat in te.
℣. Dóminus vobiſcum ,
℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus

DEus , cujus verbo foris ſonante , & grátiâ intùs movente , excitátus Antónius , ut perfectus eſſet , ómnia relíquit : da cunctis evangélicæ perfectiónis ſtúdium ingreſſis ſic cúrrere , ut bravíum æternæ felicitátis accípiant.

Concéde , &c. } *ſuprà , pag.* 261. *Cetera*
A domo tua , &c. } *ut ibidem*

# SEPTIMA PROCESSIO.

Statio fit ad Eccleſiam Monialium S. Pantaleonis.

*Cuncta fiunt uſquè ad Antiph. ſequentem, ut ſuprà in aliis Proceſſionibus.*

*Antiph. de 4.*




℣. Poſuiſti, Dómine, in cápite ejus corónam,
℟. De lápide pretióſo.
℣. Deus operátus eſt ſalútem in médio terræ.
℟. Tu confregiſti cápita dracónis.

℣. Non privábis bonis eos qui ámbulant in innocéntia :

℟. Dómine virtútum beátus qui homo ſperat in te.

℣. Dóminus vobiſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DA Eccléſiæ tuæ, quæſumus, Dómine, ſancto Pantaleóne Martyre tuo intercedente, ſuperbè non ſápere, ſed tibi plácitâ humilitáte profícere ; ut prava deſpíciens, quæcumque recta ſunt líberâ exérceat caritáte.

Concéde, &c. } *ſuprà, pag. 261. Cetera*
A domo tua, &c. } *ut ibidem.*

# OCTAVA ET ULTIMA PROCESSIO.

Statio fit ad Eccleſiam S. Auguſtini,

*Et numquàm omittitur ; eundo, cantantur eadem quæ ſuprà in aliis Proceſſionibus, & omnimodè fiunt omnia uſquè ad ſequentem Antiphonam.*

*Antiph. de 8.*




℣. Dómine, Dómine, virtus ſalútis meæ ;

℟. Obumbraſti ſuper caput meum in die belli.

℣. Deus operátus eſt ſalútem in médio terræ:
℟. Tu confregiſti cápita dracónis.
℣. Non privábis bonis eos qui ámbulant in innocéntia :
℟. Dómine virtútum beátus homo qui ſperat in te.
℣. Dóminus vobiſcum,
℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

OMnípotens & miſéricors Deus, qui beátum Auguſtínum Evangélii grátiæ tuæ teſtem & propugnatórem in Eccléſia ſuſcitaſti: ejuſdem grátiæ, quæſumus, in nobis oſtende virtútem; ut & voluntátem tuam, te docente, cognóſcere, & eam corde magno valeámus, te operánte, perfícere.

Concéde, &c. } *ſuprà, pag. 261. Cetera*
A domo tua, &c. } *ut ibidem.*

# CAPUT VIII.

## DIE II. AUGUSTI.

## *IN VIGILIA*

# INVENT. S. STEPHANI.

*PRidie Feſtum Inventionis S. Stephani Eccleſiæ & Diœceſis Patroni, fit poſt Completorium Proceſſio à Capitulo, cui interſunt omnes Religioſi Parochiæ S. Stephani, & ad eam deferuntur in Baldachino Reliquiæ ejuſdem ſancti, circumferentibus quatuor pueris Chori faces accenſas, & Hebdomadario reſpondente, cappâ rubeâ induto, poſt Baldachinum incedente; fit verò iſta Proceſſio ſine ſtatione versùs Capitolium aut versùs Salinum, & alternatim.*

*Poſt diſceſſum Ordinum Religioſorum veniunt è Sacriſtia ad Altare Parochiæ ſex Bordonerii dalmaticis rubeis induti, quos ſequitur Hebdomadarius cum cappa ejuſdem coloris; ibiquè omnibus genuflexis ſcilicèt, celebrante ad Altare, Bordoneriis ad cancellos Sanctuarii & omnibus aliis in Navi in duas lineas diviſis & ordinatis, imponitur à Bordoneriis Hymnus* Veni creátor, *&c. ut ſuprà, pag. 121. poſt primam ſtrophen ſurgunt omnes & fit Proceſſio; finito præced. Hymn. cantantur Hymni de Feſto ut ſeq.*

*Hymnus, de 6.*






Tu miſſus aſtas, ſancte Gamáliel,
Tu Clara primi pígnora Mártyris
Tellúre monſtras ſub profundâ,
Quo láteant inhonóra ſaxo.

Præſul Joannes, non ſemèl éditis,
Per noctis umbras, admónitus ſonis
Accédat; & pandat ſepúlcrum,
Et Stéphani ſacra tollat oſſa.

Hùc & ſacráti, cúrrite, Præſules;
Hùc urbe læti de Solyma greges:
Hìc veſte candentes Miniſtri,
Æthéreos celebráte plauſus.

O pompa felix! ô nova gáudia!
Quantis retectum ſpirat odóribus
Juſti féretrum! quàm ſalúbres
Exúvias pia turba novit!

Laus tanta, Martyr, te decet; en diù
Raptos honóres réddere tunc juvat,
Et ſancta neglectis tot annos
Templa Sion decoráre gemmis.

Laus ſumma Patri, ſúmmaque Fílio,
Sit, ſancte, compar laus tibi, Spíritus
Quo, morte jam victâ, triumphat
Magníficis Stéphanus trophæis. Amen.

*Hymnus, de 6.*




Non latet Gallos; ſcit & Afra tellus,
Occidens & ſol, Orienſque clamat
Quid necis claræ monumenta largo
Múnere præſtent.
Cæcus exultat, recipitque lumen;
Claudus incédit pede liber æquo;
Mors & admótam fugitíva ſentit
Mártyris arcam.
Tranſit in pannos túnicaſque virtus;
Si quis in templo pia vota fundat,
Et ſacros ſupplex cíneres honóret,
Vota reportat.
Córpori quærant álii medélam,
Cáritas noſtrum trahit omne votum,

Quæ bonis vincit mala, gratiamque
Hóſtibus orat.
Summa laus Patri, Genitóque Verbo,
Et tibi compar, utriuſque Nexus,
Qui ſalutárem Stéphani ſepulcro
Spargis odórem. Amen.

*Hymnus, de* 1.




Quæ celáta diù pulvéreo ſitu,
Monſtras oſſa tui ſpléndida Mártyris;
Ad cujus cíneres cúrritur, & ſuus
Siccis eſt honor óſſibus.
Flores è túmulo vim médicam trahunt;
Et cæco ſúbitum reſtítuunt diem,
Qui dux ipſe ſuî jam répetit domum
Cœli múnere lætior.

Ultor nempè Deus, non méritæ necis,
Sacris oppróbrium penſat honóribus:
Claros prodígiis, ac venerábiles
Ipſos vel túmulos facit.
Patri máxima laus, máxima Fílio,
Amborumque, tibi máxima, Spíritus,
Qui dùm, ne pereant, pígnora cólligis,
Nobis præsídium paras. Amen.

*Si finitis Hymnis præcedentibus nondùm pervenit Proceſſio ad plateam S. Stephani, cantantur quidam ex Hymnis de B. Maria* Ave, maris ſtella, &c. *ſuprà, pag. 155. vel* O quàm glorífica, &c. *vel* Nunc auróra, &c. *ut ſuprà, pag. 251 & 252. In platea verò S. Stephani imponitur ſemper Reſponſor.* Adduxérunt Stéphanum, &c. *ut ſuprà, pag. 204, & finitur in Navi Eccleſiæ in qua, ſtante Proceſſione, & interìm Bordoneriis in Sacriſtiam recedentibus, Hebdomadarius Celebrans aſcendit ad Altare Parochiæ, remanentibus aliis de Choro in Navi ad Altare converſis, & in duas lineas diviſis, & cantato brevi Cantico à muſicis dicitur Verſus ſequens à pueris Chori, & Oratio à Celebrante, & ſic terminatur Proceſſio.*

℣. Pretióſa in conſpectu Dómini
℟. Mors ſanctórum ejus.
℣. Dóminus vobiſcum,
℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

OMnípotens ſempiterne Deus, qui ſacrum beatíſſimi Proto-Mártyris Stéphani corpus fidélibus tuis reveláre dignátus es: concéde ejus interceſſiónis auxílio, nos ab inſtántibus tribulatiónibus liberári, & æternis conſolatiónibus adimpléri; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

# CAPUT IX.

## DIE XIV. AUGUSTI.

## *IN VIGILIA*

# ASSUMPTIONIS.

*IN Vigilia Feſti Aſſumptionis B. M. V. fit poſt Completorium Proceſſio, ſingulis annis, à Capitulo & Confraternitate Aſſumptionis, ad Eccleſiam B. Mariæ Deauratæ. Alternis annis expectantur Religioſi dictæ Eccleſiæ, quod notatur in brevi : & cùm venerint fit Proceſſio, ad quam defertur in Baldachino imago B. M. quatuor Confratribus faces accenſas circumferentibus.*

*Omnibus paratis, datoque ſigno à D. Cantore-Majori, ſex Bordonerii dalmaticis albis induti, quos ſequitur Hebdomadarius cappâ ejuſdem coloris paratus, veniunt per medium Chori, præcedente Cruce, ad Altare Parochiæ; ibique omnibus genuflexis, ſcilicèt Celebrante ad Altare, Bordoneriis ad gradus Sanctuarii, & aliis in Navi, in duas lineas diſpoſitis, & ad Altare converſis, imponitur à Bordoneriis Hymnus* Veni creátor, &c. *ut habetur ſuprà, pag. 121. Poſt primam ſtrophen ſurgunt & fit Proceſſio.*

*Finito Hymno præced. imponitur ſequens, & finitur in Eccleſia B. Mariæ Deauratæ in qua fit ſtatio.*

*Hymnus, de 5.*




Quæ non, Virgo, tibi dona rependit!
Cœli divítias éxplicat omnes:
Verbum veſtíeras carne; viciſsim
Te Verbum próprio lúmine veſtit.
Qui velo látuit carnis, aperti
Pleno te ſátiat Núminis hauſtu:
Et quem virgíneo lacte cibaſti,
In jugem tibi dat ſe Deus eſcam.
O conceſſa tibi quanta poteſtas!
Per te quanta venit grátia terris!
Cunctis Cœlítibus célſior una,
Solo facta minor, Virgo, Tonante.
Quæ Regína ſedes próxima Chriſto,
Alto de ſólio vota tuórum
Audi; namque potes flěctere Natum,
Virgo mater: amas nos quoque natos.

Divínæ Sóboli qui dare matrem
In terris vóluit, glória Patri:
Cujus Virgo parens, glória Nato:
Quo fœcunda, tibi glória Flamen. Amen.

*Finito Hymno, ad Altare majus dictæ Eccleſiæ, omnibus in Sanctuario genuflexis cum Celebrante ad genuflexorium ibidem præparatum, cantatur Canticum à muſicis, quo finito dicitur Verſus ſequens à pueris Chori, & Oratio à Celebrante.*

℣. Magna eſt glória ejus
℟. In ſalutári tuo, Dómine.
℣. Dóminus vobiſcum,
℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

VEneranda nobis, Dómine hujus diéi feſtívitas opem cónferat ſalutárem, in qua ſancta Dei Génitrix mortem ſúbiit temporálem, nec tamen mortis néxibus déprimi pótuit, quæ Fílium tuum Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum de ſe génuit incarnátum; Qui tecum vivit & regnat in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

*Poſt Orationem Bordonerii imponunt, omnibus ſtantibus, Hymnum* Te Deum. *ut ſuprà, pag. 195. quo finito, cantabitur Hymnus*, Ave, maris ſtella, *&c. ſuprà, pag. 155, & ſi opus ſit, addentur Hymni* O quàm gloríſica, *&c. ſuprà, pag. 251;* Nunc aurora, *pag. 252. quibus finitis in Navi Eccleſiæ Toloſanæ, ibique ſtante Proceſſione, & interim recedentibus Bordoneriis in Sacriſtiam Chori, Hebdomadarius Celebrans aſcendit ad Altare Parochiæ, dicto-*

*que à pueris Chori* ℣. Magna eſt. *dicit Orationem* Veneranda, *&c. ut ſuprà in Eccleſia B. M. Deauratæ, & ſic terminatur Proceſſio.*

*Si propter intemperiem aeris ad extrà fieri nequeat præcedens Proceſſio, fit per circuitum Clauſtri, Chori & Navis Eccleſiæ. Incipit autem ad Altare Parochiæ, ibique terminatur per* ℣. *& Orationem ut ſuprà. Cantatur primò* Veni Creator. *& in decurſu Proceſſionis cantantur* Hymni *de B. M. prout opus erit, ſed omittitur* Te Deum. *ſic factum fuit die* 14. *Auguſti, anni milleſimi ſeptingenteſimi quinquageſimi ſexti.*

# CAPUT X.

## PROCESSIO GENERALIS *DIE XV. AUGUSTI,* FIERI SOLITA.

*IN Feſto Aſſumptionis B. Mariæ Virginis ſit Proceſſio generalis, expleto Officio diei, procedendo verſus Salinum ad Eccleſiam B. M. Dealbatæ in qua ſit ſtatio, pro implendo Ludovici XIII. galliæ Regis, voto, à Ludovico XV regnante, Rege noſtro Chriſtianiſſimo, & à prædeceſſoribus ejus confirmato.*

*Huic Proceſſioni interſunt Capitulum S. Saturnini, Parochi urbis, & omnes Ordines Religioſi. In ea defertur in Baldachino Imago B. M. Virginis, quatuor Aſſeſſoribus intortitia circumferentibus, eamque comitantur viri Capitolini cum præfectis, centuriâque vigilum Capitolii.*

*Poſt Baldachinum incedit Celebrans, & poſt Celebrantem, ſequuntur Senatus Toloſanus, Quæſtores Galliæ, Patres Academici, Seneſcalli Curia, & Viri Conſulares.*

*Poſt Completorium conveniunt omnes in Eccleſiam Toloſanam, ibique expectant uſquè dùm venerit tempus Proceſſionem incipiendi; alii autem Chorum Proceſſionaliter ingrediuntur, & in ipſius Sanctuario conſiſtunt ſcilicèt Capitulum S. Saturnini, & Religioſi B. M. Deau-*

*ratæ ; iſti verò à latere Epiſtolæ cum Patribus Academiæ , & Capitulum S. Saturnini , à latere Evangelii cum Parochis. Reliqui autem Ordines Religioſi expectant extra Chorum & in ipſius circuitu in Capellis.*

*Poſtquàm adjuſſum D. Cantoris majoris proceſſére omnes Ordines Religioſi , & ultimo loco Capitulum S. Saturnini , præcedentibus , ut moris eſt , Peregrinis S. Jacobi , veniunt , præcedente Cruce , ſex Bordonerii dalmaticis coloris albi induti , quos ſequitur Hebdomadarius reſpondens cum cappâ albâ , aut DD. RR. Archiepiſcopus ( ſi adſit ) cum ornamentis ejuſdem coloris , è Sacriſtia per medium Chori ad Altare Parochiæ ubì expoſitum eſt SS. Sacramentum , ibique omnibus genuflexis , ſcilicèt Celebrante ad Altare , Bordoneriis ad cancellos Sanctuarii , & aliis de Clero in Navi Eccleſiæ , imponitur à Bordoneriis Hymnus* Veni Creátor , *&c ut ſuprà , pag. 121. poſt primam ſtrophen ſurgunt omnes & procedunt. Finito Hymno non procùl à Capella ( Vulgò ) de Nazareth , buccinatur in tubis tibiiſque majoribus ter quatervè & alternatìm , poſteà Cantores ſive Bordonerii imponunt Hymn. ſequentem.*

*Hymnus , de 5.*






Quantùm delítuit páupere tecto ,
Tantùm ſpléndida nunc fulget in aſtris :
Se veláre quibus mater amábat ,
Denſas Natus amat rúmpere nubes.
Olim quæ fúerat juncta maríto ,
Et de connúbio crédita mater ,
Totum jam cólitur nota per orbem
Cum matris títulis íntegra Virgo.
Ancillæ tríbuit quæ ſibi nomen ,
Cœleſti dóminans regnat in aula :
Quæ tot paſſa neces Prolis amóre ,
Jam ſecúra , ſuâ Prole triumphat.
Noſtras , tu nova lux , díſcute noctes :
Tu Regína , graves ſolve caténas :
Cæcos , ſtella maris , dírige curſus ;
Da quo tu frúeris , cérnere Natum.
Divínæ Sóboli qui dare matrem
In terris vóluit , glória Patri :
Cujus Virgo parens , glória Nato :
Quo fœcunda , tibi glória , Flamen. Amen.

*Si nondùm pervenit Proceſſ. ad Eccleſiam B. M. Dealbatæ , cantatur Hymnus ſeq.*

*Hymnus , de 6.*






Sed victa partu mors tuo
Te labis expertem nequit,
Suis nec audet ſtríngere
Vitæ parentem néxibus.
O qualis inter óbvios
Regína ſcandis Cœlites!
Quàm pulchra, celſæ próxima
Sedi Tonantis, áſſidet!
Amicta ſole fémina,
Lunamque ſubjectam premens,
Biſſéna cui cingunt caput
Fulgóre miro ſídera.
O tu, clientûm cui preces,
Cui vota cordi, Júdicem
Præbére nobis, quod potes,
Patróna, placátum velis.
Sit noſtra per te laus Patri:
Tuóque grata Fílio,
Et utriuſque Flámini,
In ſeculórum ſécula. Amen.

*Finito Hymno in Eccleſia B. Mariæ Dealbatæ, omnibus genuflexis, cantatur in Choro ejuſdem*

*ejuſdem à muſicis, coram SS. Sacramento, Antiphona* Sub tuum præſidium, *&c. quâ finitâ, dicuntur à pueris Chori Verſus ſequentes, & Orationes à Celebrante.*

℣. Fílii tui ſicut novellæ olivárum,

℟. In circúitu menſæ tuæ.

℣. Poſuiſti, Dómine, in cápite ejus corónam,

℟. De lápide pretióſo.

℣. Deus judícium tuum Regi da;

℟. Et juſtítiam tuam Fílio Regis.

℣. Dóminus vobiſcum,

℟. Et cum Spíritu tuo.

Orémus.

Deus, qui nobis ſub Sacramento mirábili paſſiónis tuæ memóriam reliquiſti; tríbue, quæſumus, ita nos córporis & ſánguinis tui ſacra myſtéria venerári, ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter ſentiámus.

Veneranda nobis, Dómine, hujus diéi feſtívitas opem cónferat ſalutárem, in qua ſancta Dei Génitrix mortem ſúbiit temporálem, nec tamen mortis néxibus déprimi pótuit, quæ Fílium tuum Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum de ſe génuit incarnátum.

Deus Regum, Regnórum Rex, moderátor & cuſtos, qui Unigénitum Fílium tuum, Beatíſſimæ Vírginis Maríæ Fílium, eíque ſúbditum eſſe voluiſti, fámuli tui Ludovíci Chriſtianíſſimi Francórum Regis, fidélis pópuli & totíus Regni ſui vota ſecundo favóre proſéquere; ut qui ejuſdem Vírginis ſervitúti devótâ ſe ſponſióne cónſecrant, perennis in terra pacis, & in cœlo æternæ libertátis præmia conſequantur; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*Dictis Orationibus ſurgunt Bordonerii, & omnibus ſtantibus, imponunt Hymnum* Te Deum. *ut ſuprà, pag. 195. & revertitur Proceſſio. Finito Hymno, proceditur, ut ſuprà, in ſono tubarum, tibiarumque majorum Capitolii, deindè ſi nondùm pervenit Proceſſio ad Eccleſiam Toloſanam, imponitur Hymnus* Ave, maris ſtella, *&c. ut ſuprà, pag. 155, & ſi opus ſit, addentur Hymni* O quàm glorífica, *&c.* Nunc auróra, *&c. ſuprà, pag. 251 & 252, qui terminantur in Eccleſia Toloſana, quam dùm Proceſſio ingreditur, pulſantur organa. Recedunt Bordonerii in Sacriſtiam Chori, & effertur Baldachinum B. Mariæ; aſcendit tamen Clerus ad Altare Parochiæ, ubì, ſivè in Sanctuario, ſivè in Sacriſtia manent genuflexi, donec data ſit Benedictio.*

*Cùm advenerit Hebdomadarius Celebrans ad Altare Parochiæ, utroque genu adorato SS. Sacramento, in Sacriſtiam ingredietur, ibique cappam deponet, quâ D. Canonicus Hebdomadarius, ſumptâ ſtolâ, induet ſe, & veniet ad Altare.* Interim *cantatur breve Canticum à muſicis, quo finito dicuntur à pueris Chori* ℣℣. *& Orationes à Celebrante, ut ſuprà in Eccleſia B. Mariæ Dealbatæ, & datur Benedictio more ſolito; & ſic terminatur Proceſſio.*

*Celebrans poſt Benedictionem, præcedentibus Canonicis, in Sacriſtiam Chori, cappam depoſiturus pergit.*

✠

# CAPUT XI.

# *IN FESTO*

# EXALTATIONIS S. CRUCIS.

*IN hoc Feſto fit Proceſſio ſine ſtatione , & alternatìm versùs Capitolium aut versùs Salinum , prout notatur in brevi : quamobrèm , celebratâ Miſſâ principali in Choro , & completâ Horâ quæ ſequitur Miſſam , è Sacriſtia veniunt quatuor Bordonerii dalmaticis rubeis induti , ad Chorum , eoſque ſequitur Hebdomadarius reſpondens cappâ ejuſdem coloris paratus , & venit ante capſam in qua includitur quædam pars Crucis Domini Noſtri Jeſu-Chriſti , ibique medius inter Bordonerios genuflectit , ceteriſque in Choro genuflexis , imponitur à Bordoneriis Hymnus ,* Crux alma ſalve , *ut notatur ſuprà , die 3. Maii , pag. 189 , cantatâ primâ ſtrophe , ſurgunt omnes & continuando eumdem Hymnum , incipit , fitque Proceſſio ad quam defertur capſa in Baldachino , ſequente eam Celebrante , quatuorque pueris Chori circumferentibus faces accenſas.*

*Hymnus , de 7.*






Hanc nulla cedrus árborem
Adæquat alto vértice ,
Quæ poma neſcit nóxia ,
Sed ferre vitæ præmia.
Tu , Chriſte , Rex piiſſime ;
Hujus Crucis ſignáculo ,
Diébus , horis ómnibus ,
Muníre nos non ábnuas ;
Ut lingua cordi cónſona ,
Comeſque cordis púritas ,
Laudis tibi perenniter
Munus rependat débitum.
Qui per Crucem nos líberas ,
Fili , tibi laus máxima
Cum Patre : nec tibi minor
Laus , utriuſque Spíritus. Amen.

*Hymnus , de 2.*






Públici fontes ſalútis ,
Sacra Chriſti vúlnera ,
Vulnerátos illa ſanant
Anguis inſtar æneï :
Quiſquis æger ſperet , & ſpe
Non ſuâ fraudábitur.
Crux tribúnal , quo ſedébit
Juſtus ultor críminum :
Sponte ſed nos judicémus ,
Cedet ira júdicis ;
Noſque primi puniámus ,
Ne ſecundus púniat.
Tótius fons ſanctitátis ,
Sancta quo ſunt ómnia ,
Qui tuo quodcumque crimen
Expiaſti ſánguine ,
Labe puros , Chriſte , ſerves
Chriſtiános móribus.
Sempiterna laus parenti
Qui creávit ómnia ,
Filióque qui redémit
Morte nos volens ſuâ :
Par & illi cujus almo
Recreámur hálitu.
Amen.

*Hymnus ſequens cantatur de 7. ut Hymnus* Lignum Crucis, &c. *ſuprà , vel ſub cantu ſcquenti.*

*Hymnus , de 5.*




Telis rubentem flámmeis
  Ultóris exarmas manum
  Placátur : ut te réſpicit ;
  Iras & oblivíſcitur.
Lethále ſi vulnus ferat
  Infernus anguis mórſibus ;
  Læſi ſimul te vidérint ,
  Repentè tu medéberis :
Ara ſub illa par Deo
  Se conſecrávit hóſtia :
  Hâc ſede læſum fílius
  Placávit orátor Patrem.
Crux ſancta , Crux amábilis.
  Crux tincta Chriſti ſánguine ,
  Hauríre da nos lárgiùs
  Vitam , Dei de fúnere.

Qui per Crucem nos líberas,
  Fili, tibi laus máxima
  Cum Patre: nec tibi minor
  Laus, utriuſque Spíritus. Amen.

*Si nondùm pervenit Proceſſio ad plateam S. Stephani cantatur Hymnus ſequens; Secùs verò omittitur, & cantatur* ℟. Adduxérunt. *ut dicetur infrà.*

*Hymnus, de 1.*




Victa ſerpentis fuit illa fraude;
  Intimis virus récipit medullis:
  Vulnus hæc ſanat, tumidíque colla
    Conterit anguis.
Quò dolus ceſſit? Dómitâ parente,
  Tótius ſperat ſóbolis ruínam:
  Omnibus reddet Sóboles parentis
    Una ſalútem.

Sic lucro cedunt, Dómino volente,
Damna, dùm gratâ vice per Maríam
Delet ántiquam nova vita mortem,
Grátia culpam.

Díceris mater quoque noſtra, Virgo;
Te proba noſtram, pia Virgo, matrem,
Efficax blandis précibus ſevérum
Fléctere Numen.

Laus ſit æternæ ſua Trinitáti,
Quæ laborantem miſeráta mundum,
Próximos Chriſti, præeunte matre,
Núntiat ortus. Amen.

*In platea S. Stephani imponitur à Bordoneriis Reſponſorium* Adduxérunt. *ut habetur ſuprà, pag. 14 vel 204. qui cantatur cum ſuo Verſu, & finitur in Navi Eccleſiæ in qua Bordonerii imponunt Antiph. ſequent. & poſteà recedunt in Sacriſtiam.*

*Antiph. de 1.*






*Finitâ Antiphonâ , dictoque à pueris Chori Verſu ſequenti , dicitur ante capſam à Celebrante ſequens Oratio.*

℣. Accípere ánimam meam conſiliáti ſunt;
℟. Ego autem in te ſperávi , Dómine.
℣. Dóminus vobiſcum ,
℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DEus , qui nos hodiernâ die exaltationis ſanctæ Crucis ánnuâ ſolemnitáte lætíficas : præſta , quæſumus , ut cujus myſtérium in terra cognóvimus , ejus redemptiónis præmia in cœlo mereámur ; Per eumdem Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen,

*Poſt Orationem imponitur ab uno è Cantoribus , Reſponſ.* Líbera , &c. *ut ſuprà , die 3. Maii , pag. 207. ſervatis Rubricis ibidem appoſitis.*

# PROCESSIONES EXTRAORDINARIÆ,

## *QUÆ NON FIUNT*

## NISI DE MANDATO

## D.D. ARCHIEPISCOPI.

# CAPUT XII.

# PROCESSIO

## AD PETENDAM PLUVIAM.

*HORA competenti conveniunt omnes in Eccleſiam, cunctiſque de Choro ante Altare Parochiæ ſtantibus, imponitur à duobus Choriſtis ſolâ cottâ indutis, Antiphona* Exurge, *ut habetur ſuprà in Feſto S. Marci, pag. 176, & omittitur in fine,* Allelúia. *extrà tempus Paſch. Repetitâ Antiphonâ poſt Pſalmum, dicitur Oratio* Mentem famíliæ tuæ, *&c. ut ſuprà, pag. 177. ab eo qui in fine Proceſſionis dicturus eſt Verſus & Orationes. Vulgò dicuntur à D. Canonico reſpondente.*

*Finitâ Oratione omnes in genua procumbunt, & iidem duo Choriſtæ incipiunt ad cancellos*

*Sanctuarii Litanias in eodem cantu ac notantur, & ut habentur ſuprà in Feſto S. Marci, p. 177.*

*In decurſu Proceſſionis, poſt hæc verba :* Ut fructus terræ dare, *&c. dicetur bis, & ſub eodem cantu :* Ut congruentem plúviam fidélibus tuis concédere dignéris, ℟. Te rogámus, audi nos.

*Si ad quamdam Eccleſiam urbis pergat Proceſſio, & fiat ſtatio in ea, cantabitur Antiph. cum ℣. & Oratione Patroni ejuſdem Eccleſiæ.*

*Reversâ Proceſſione ad Eccleſiam Metropolitanam, finitis Litaniis omnibuſque ante Altare Parochiæ genuflexis, dicto* Pater noſter, *&c. ſecretò, Celebrans dicet :*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem ;

℟. Sed líbera nos à malo.

*Deindè Celebrans incipiet Pſalmum ſequentem qui ab utroque Choro, ſub cantu Verſiculi præced. alternis perficietur.*

PSALMUS 146.

LAudáte Dóminum, quóniam bonus eſt pſalmus : * Deo noſtro ſit jucunda decóraque laudátio.

Ædíficans Jerúſalem Dóminus : * diſperſiónes Iſraélis congregábit.

Qui ſanat contrítos corde, * & álligat contritiónes eórum.

Qui númerat multitúdinem ſtellárum, * & ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noſter, & magna virtus ejus ; * & ſapiéntiæ ejus non eſt númerus.

Suſcípiens manſuétos Dóminus : * humílians autem peccatóres uſquè ad terram.

Præcínite Dómino in confeſſióne ; * pſállite Deo noſtro in cíthara.

BIBLIOTHÈQUE TOULOUSE UNIVERSITAIRE

Qui óperit cœlum núbibus, * & parat terræ plúviam.

Qui prodúcit in móntibus fœnum, * & herbam ſervitúti hóminum;

Qui dat jumentis eſcam ipſórum, * & pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit; * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum eſt Dómino ſuper timentes eum, * & in eis qui ſperant ſuper miſericórdia ejus.

Glória Patri, &c.

*Finito Pſalmo, Celebrans dicet:*

℣. Operi, Dómine, cœlum núbibus;

℟. Et para terræ plúviam.

℣. Ut prodúcat in móntibus fœnum,

℟. Et herbam ſervitúti hóminum.

℣. Riga montes de ſuperióribus tuis.

℟. Et de fructu óperum tuórum ſatiábitur terra.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam;

℟. Et clamor meus ad te véniat.

*Celebrans ſurgit, & ſtans dicit:*

℣. Dóminus vobiſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DEus, in quo vívimus, movémur, & ſumus, plúviam nobis tríbue congruentem: ut præſéntibus auxíliis ſufficienter adjúti, ſempiterna fiduciáliùs appetámus.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus, ut qui in afflictióne noſtra de tua pietáte confídimus, contra adverſa ómnia tuâ ſemper protectióne muniámur.

DA nobis, quæſumus, Dómine, plúviam ſalutárem, & áridam terræ fáciem fluentis cœléſtibus dignánter infunde; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, &c.

℣. Dóminus vobiſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

℣. Exáudiat nos omnípotens & miſéricors Dóminus.

℟. Amen.

℣. Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requieſcant in pace.

℟. Amen.

# PROCESSIO
## AD POSTULANDAM SERENITATEM.

*AD hanc Proceſſionem cantatur ante Altare Parochiæ Antiph.* Exurge, *&c. & poſt Antiph. dicitur Oratio :* Mentem famíliæ tuæ, *&c. ut dictum eſt in præcedenti Proceſſione, & ut habetur ſuprà in Litaniis majoribus,* *p. 177.*

*Poſt Orationem, incipiuntur Litaniæ, & cetera fiunt ut in præcedenti Proceſſione, exceptis quæ ſequuntur.*

*In decurſu Proceſſionis, poſt hæc verba :* Ut fructus terræ dare, *&c. bis dicetur :* Ut fidélibus tuis äëris ſerenitátem concédere dignéris ;

℟. Te rogámus, audi nos.

*Poſt reditum Proceſſionis, omnes ante Altare Parochiæ procumbent in genua, & poſt ultimum* Kyrie, eleiſon. *dicetur ſecretò,* Pater noſter, &c.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem,

℟. Sed líbera nos à malo.

*Deindè Celebrans incipiet Pſalmum ſequentem, quem uterque Chorus alternis & ſub cantu Verſiculi præcedentis, proſequetur.*

### PSALMUS 66.

DEus miſereátur noſtrî, & benedícat nobis ; * illúminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereátur noſtrî ;

Ut cognoſcámus in terra viam tuam, * in ómnibus géntibus ſalutáre tuum.

Confiteantur tibi pópuli, Deus, confiteantur tibi pópuli omnes: * lætentur & exultent gentes.

Quóniam júdicas pópulos in æquitáte, * & gentes in terra dírigis.

Confiteantur tibi pópuli, Deus, confiteantur tibi pópuli omnes: * terra dedit fructum ſuum.

Benedícat nos, Deus, Deus noſter, benedicat nos, Deus; * & métuant eum omnes fines terræ.

Glória Patri, &c.

*Finito Pſalmo, Celebrans dicit:*

℣. Adduxiſti, Dómine, ſpíritum tuum ſuper terram.

℟. Et prohíbitæ ſunt plúviæ de cœlo.

℣. Cùm obdúxero núbibus cœlum,

℟. Apparébit arcus meus, & recordábor fœderis mei.

℣. Illuſtra fáciem tuam, Dómine, ſuper ſervos tuos;

℟. Et bénedic ſperantes in te.

℣. Dómine exaudi oratiónem meam:

℟. Et clamor meus ad te véniat.

*Surget Celebrans & dicet:*

℣. Dóminus vobiſcum,

℟. Et cum ſpirítu tuo.

Orémus.

DEus, qui culpâ offenderis, pœniténtiâ placáris; preces pópuli tui ſupplicantis propítius réſpice; & flagella tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis noſtris merémur, averte.

AD te nos, Dómine, clamantes exaudi, & äëris ſerenitátem nobis tríbue ſuppli-

cántibus : ut qui juſtè pro peccátis noſtris affligimur, miſericórdiâ tuâ præveniente, cleméntiam ſentiámus.

QUæſumus, omnípotens Deus, cleméntiam tuam, ut inundántiam coérceas ímbrium, & hilaritátem vultûs tui nobis impertíri dignéris; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, &c.

℣. Dóminus vobiſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

℣. Exáudiat nos omnípotens & miſéricors Dóminus.

℟. Amen.

℣. Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requieſcant in pace.

℟. Amen.

BIBLIOTHÈQUE TOULOUSE UNIVERSITÉ

# PRO ULTIMO TRIDUO
# MAJORIS HEBDOMADÆ.

*Ad Laudes Feriæ V, VI & Sabbati Majoris Hebdomadæ, repetitâ Antiph. poſt* Benedictus. *cantatur à duobus Pueris Chori, retrò Altare flexis genibus,* Kyrie. *cum tropis; & omnes de Choro repetunt genuflexi* Kyrie. *vel* Chriſte. *ut infrà notatur.*




Pueri Chori.
Qui de- diſ- ti re-dempti-
o- nem teme- tip- ſum pro
om- ni- bus.
Cho- rus.
Chriſ- te ,
e- le- i- ſon.
Pueri Chori.
Qui à
Ju-da oſ- cu- lo tra- di-tus ,
ſi- cut o- vis ad oc-ci- ſi-
o- nem duc- tus es.
Chorus.
Chriſ- te , e- le- i- ſon.
Pueri Chori.
Qui e- xa -ta- tus à
ter- ra omni- a tra- xiſ- ti
ad te- ip- ſum.


Chorus.
Chriſ- te , e- le- i- ſon.
Pueri Chori.
Qui per Prophe- tam di-
xiſ- ti ; E- ro mors tu- a ,
ô mors.
Cho- rus.
Ky-
ri- e , e- le- i- ſon.
Pueri Chori.
Autor vi- tæ per mor-
tem deſtru- xit e- um qui ha-
be- bat mor-tis impe- ri- um.
Chorus.
Ky- ri- e , e- le- i- ſon.
Pueri Chori.
A for- ti prædam abſ- tu-
lit , ex-po- li- ans po- teſ- ta- tes ,


& pa- làm tri- umpha- vit.
*Chorus.*
Ky- ri- e, e- le- i-ſon.
Do- mi-ne, mi-ſe- re- re; par- ce
fa- mu- lis: Chriſtus Do-mi-nus
fac- tus eſt o- be- di-ens uſ-
què ad mortem.
*eri Chori ſequuntur.*
Mortem au- tem Cru-
cis.

# FINIS.

# INDEX

## *RERUM QUÆ CONTINENTUR*

## IN HOC PROCESSIONALI.

*Antiph.* Aſperges. *pro Aſperſione Aquæ-benedictæ in Dom. extrà Temp. Paſch.* *paginâ* ix
*Antiph.* Effundam. *pro Dominicis intrà Temp. Paſchale.* xj

## PARS PRIMA.

CAPUT I. *De Proceſſionibus quæ fiunt in Dominicis,* *paginâ* 1
*Dominica in Quinquageſima.* 2
*Dominicis Quadrageſimæ.* 3
*Dominicis intrà Temp. Paſch.* 4
*A Dom. III. poſt Pent. ad Advent.* 4
CAPUT II. *De Proceſſionibus quæ fiunt cum ſex vel quatuor Bordoneriis.* 6
*Antiphonæ B. Mariæ.*
*Ab Aventu uſquè ad Præſent. Domini.* Alma, &c. 8
*A Præſentatione Domini ad Paſcha.* Ave Regina, &c. 9
*A Paſcha ad Dominicam SS. Trinitatis*, Regina cœli, &c. 10
*A Dominica SS. Trinitatis ad Adventum*, Salve, &c. 11
℟. Benedicta es tu, &c. 12

℟. Adduxérunt, &c. *pagina* 14
*Antiph.* Poſitis genibus, &c. 15
*In obitu cum Proceſſione.* 16
CAPUT III. *In Feſto Præſentat. Domini.* 17
*Diſtributio Candelarum.* 18
*Proceſſio hujus diei.* 21
*Dominica in Palmis.* 25
*Benedictio Palmarum.* 26
*Diſtributio Palmarum.* 27
*Aſperſio poſt diſtributionem.* 28
*Proceſſio Palmarum.* 30 & *ſeq.*
CAPUT IV. *Feria V. in Cœna Domini.* 43
*De Mandato.* 44 & *ſeq.*
*Feria ſexta in Paraſceve.* 51
*Improperia quæ cantantur portando Crucem ad Chorum.* 52 & *ſeq.*
Ecce lignum Crucis, &c. 56
Vexilla Regis, &c. 58
*Antiph.* Super ómnia, &c. 59
*Hymnus* Lugéte, &c. 61
*Sabbato Sancto. Litania procedendo ad Fontes.* 62
*Litania revertendo è Fontibus ad Chorum.* 65
*In die Sancto Paſchæ & per Octavam. De Proceſſ. quæ fit ad Fontes ſingulis diebus poſt Veſp.* 68 & *ſeq.*
*In Vigilia Pentecoſtes fit Benedictio Fontium.* 80
CAPUT V. *Pridiè Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum.* 81
℟. Líbera me, &c. 83 & *ſeq.*
*In Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum.* 87
*Prima Abſol. fit ut notatur.* 83 & *ſeq.*
*Secunda Abſolutio,* 88 & *ſeq.*

*Tertia Abſolutio, pagina* 91 *& ſeq.*
*Quarta Abſolutio.* 92 *& ſeq.*
*Quinta Abſolutio.* 94 *& ſeq.*
*Sexta Abſolutio.* 96 *& ſeq.*
*Septima Abſolutio.* 98 *& ſeq.*
*Octava Abſolutio.* 100 *& ſeq.*
*Nona & ultima Abſolutio.* 102
CAPUT VI. *De Exequiis.* 103
*Pſ.* Miſerére meî, &c. 104
℟. Immolávi, &c. *pro Epiſcopo aut Sacerdote.* 106
℟. Dómine omnípotens, &c. *pro non Sacerdote.* 108
Non Intres in judícium, &c. 109
℟. Ibit homo, &c. 112
*Canticum* Benedictus, &c. 113
*Antiph.* Venit hora, &c. 114
*Abſolutio pro Defunctis in decurſu Proceſſionum.* 116
CAPUT VII. *Proceſſ. cum precibus & exorciſmis ad repellendas tempeſtates & grandines.* 120 *& ſeq.*
*Hymnus*, Veni, Creátor, &c. 121
CAPUT VIII. *De Litaniis ante Miſſam conventualem.* 132
CAPUT IX. *De Proceſſionibus poſt Veſp. fieri ſolitis.* 139
CAPUT X. *Proceſſio cum SS. Sacramento in qualibet Dominica tertia cujuſque menſis.* 144 *& ſeq.*
O ſalutaris Hoſtia, &c. 145
Pange, lingua, &c. *Ibid.*
*Orationes de B. M. V.* 147 *& ſeq.*
CAPUT XI. *De Proceſſ. ſivè pomeridianis ſivè ſerotinis intrà Octav. Corporis Chriſti.* 152 *& ſeq.*

Ave, maris ſtella, &c. *pagina* 155
CAPUT XII. ℣.℣. *& Orationes ad diverſa.* 160
CAPUT XIII. *De Hymno* Te Deum. *pro gratiarum actione decantato in Choro.* 169 *& ſeq.*
CAPUT XIV. *Ordo recipiendi proceſſionaliter D. D. Archiepiſcopum, in ſuo primo acceſſu ad Eccleſiam Toloſanam.* 171 *& ſeq.*

## PARS SECUNDA.

CAPUT I. *Litaniæ major. in Feſt. S. Marci.* 175
*Antiph.* Exurge, Dómine, &c. 176
CAPUT II. *De Proceſſ. fieri ſolita in Feſto Inventionis. S. Crucis.* 188
*Hymnus* Crux alma, ſalve, &c. 189
*Hymnus* Tellus, tot annos, &c. 192
*Hymnus* Signum novi Crux, &c. 193
*Hymnus* Crux ſola languórum. 194
Te Deum. 195
*Hymnus* Nunc novis, &c. 200
*Hymnus* Forti tegente, &c. 201
*Hymnus*, Chriſte quem ſedes. 202
*Hymnus* Jeſu noſtra redemptio. 203
℟. Adduxérunt, &c. 14 *&* 204
*Antiph.* Parebit ſignum, &c. 206
CAPUT III. *De Proceſſ. Rogationum.* 209
*Litaniæ Minor. Feriâ II. Rogat.* 210
*Feriâ III. Rogationum.* 220
*Feriâ IV. Rogationum.* 221
CAPUT IV. *De Proceſſione generali die decima ſept. Maii fieri ſolita.* 223
*Hymnus* Verbum ſupernum, &c. 225

*Orationes*

*Orationes & ℟℟. ad ſtationem quæ fit in Capitolio.* pagina 226
*Hymnus* Sanctorum canimus, &c. 227
℟℟. *& Orationes dicendæ in Eccleſia S. Saturnini.* 228
*Hymnus* Inter ſulphureos, &c. 230
*Hymn.* Quò vos Magiſtri glória. 231
*Hymnus* O quàm verendis, &c. 232
*Hymnus*, O luce quæ, &c. 233
℟℟. *& Orationes dicendæ in fine Proceſſionis.* 234 *& ſeq.*
CAPUT V. *In Feſto Corporis Chriſti.* 236
*Hymnus* Sacris ſolemniis, &c. 238
*Hymnus* Nate qui Deo, &c. 239
*Hymnus* Ceſſant figuræ, &c. 241
*Hymnus* Non qualis olim, &c. 242
℟. *& Oratio dicenda in Eccleſia ſtationis.* 243
*Hymnus* Sic amas, &c. 244
*Hymnus* Hoſte dum victo, &c. 246
℟. *& Oratio in fine Proceſſ. &c.* 247
CAPUT VI. *De Proceſſione SS. Sacramenti, quandò exit ab Eccl. Tauri.* 249
*Hymnus* O quàm glorífica, &c. 251
*Hymnus* Nunc auróra, &c. 252
*De ſtationibus in decurſu Proceſſionis SS. Sacramenti.* 253
*Ad primam ſtationem, Antiphona & Oratio.* 254
*Ad ſecundam ſtationem, Antiph. & Oratio.* 255
*Ad tertiam ſtationem, Antiphona & Oratio.* 256
CAPUT VII. *Proceſſiones minores poſt Oct. Corp. Chr. fieri ſolitæ.* 257
*Prima Proceſſio.* 259

Secunda *Proceſſio.* 262
*Tertia Proceſſio.* 264
*Quarta Proceſſio.* 266
*Quinta Proceſſio.* 268
*Sexta Proceſſio.* 270
*Septima Proceſſio.* 272
*Octava & ultima Proceſſio.* 274
CAPUT VIII. *Proceſſio in Vigilia Inventionis S. Stephani, die 2 Auguſti.* 276
*Hymnus* Quis luciano, &c. *Ibid.*
*Hymnus* Mole contritus, &c. 278
*Hymnus* Obſcuros tenebris, &c. 279
℣. *& Oratio in fine Proceſſionis.* 280
CAPUT IX. *Proceſſio in Vigilia Aſſumptionis die 14. Auguſti.* 281
*Hymnus* O vos ætherei, &c. 282
℣. *& Oratio in Eccleſia ſtationis, & in fine Proceſſionis.* 283
CAPUT X. *Proceſſio generalis in die Aſſumptionis, 15. Auguſti.* 285
*Hymnus* Quæ cœlo nova, &c. 286
*Hymnus* Parata, &c. 287
℣℣. *& Orationes dicendæ ad ſtationem & in fine Proceſſionis.* 289
CAPUT XI. *Proceſſio in Feſto Exaltationis S. Crucis, 14. Septemb.* 291
*Hymnus* Lignum Crucis, &c. *Ibid.*
*Hymnus* Uncta Crux, &c. 292
*Hymnus* Signum novi Crux, &c. 294
*Hymnus* Debitam morti, &c. 295
*Antiph. cum* ℣. *& Oratione in fine Proceſſionis.* 297
CAPUT XII. *Proceſſio ad petendam pluviam.* 298 *& ſeq.*

*Proceſſio ad poſtulandam Serenitatem.* 302 & *ſeq.*
Kyrie. *cum tropis pro ultimo triduo majoris Hebdomadæ.* 305 & *ſeq.*

FINIS.

BIBLIOTHEQUE U TOULOUSE UNIVERSITAIRE